Iuſtitiæ imago. 266
Iuſtus iuuatur à Ioue. 189
Iuſtus vt effici quis poſſit. 96
Iuuenis Aemathius. 143

K

ΚΑΜΑΤΗΡΟΣ. 170

Labor

L

Labor in media quiete vigilat. 259
Labor omnia vincit. 79
Laboranti Deum adeſſe. 113
Labori, & vſui cedunt omnia. 330
Laboris Symbolum. 79
Laborem honos leuat. 36
Laboris dura improbitas omnia poteſt. 173
Labyrinthus. 341
Lacedæmonum fortitudo. 43
Lacena virgo. 330
Laconis dictum. 33
Laconis magnanimitas. 41
Laqueo laqueus amoris ſoluitur. 31
ΛΑΘΕΒΙΩΣΑΣ. 299
Latois alma. 111
Laudatiuum genus, cur capræ nota ſignificatur. 315
Laurea redimicula quid arguant? 229
Lautrechius Dux. 105
Leges Lycurgi. 43
Legibus fundari ciuitas ſine timore non poteſt. 225
Legum contemptio nepharia. 225
Legum poteſtas ex morali philoſophia. 275
Lentius approperare, ideſt maturare. 229
Leo X. Pont. Max. 167
Leo alatus librum præſeferens. 309
Leo ſacris cuſtos peruigil appoſitus 259
Leo ſignifer quid? 243
Leo vigilat oculis clauſis dormit apertis. 259
Leocras Sculptor. 168
Leonis ſpolium. 335
Leonis ſpolium quid notet. 119
Leonem Aegyptij ſub Apollineo ſolio pingebant. 309
Lerneus draco. 23
Lex prima naturæ. 99
Liberaleis arteis docere vetuit chriſtianos. 63
Libertas Populi Bononienſis. 242
Libido cæca. 131
Libido ſæpe armata. 151
Librã virgo tenens, quid notet. 229
Librum tenet Atlas 237
Lilia aurea. 51
Lilia cærulea felicia. 271
Lilia decus notant. 243
Lilia Farneſiorum. 292
Lilia liberalitatis Symbola. 219
Liliatum ſceptrum Adraſti. 144
Lingua dẽtibus implicita quid. 227
Linguæ vſu caret Crocodillus. 211
Linguam, & iram continendã. 226
Loqui non idem, ſed idem ſpectare ſemper oportere. 312
Luce nimia oculi caligant. 209
Lucerna penſilis Farneſii. 293
Lucernæ. 109
Lucis almæ vigor cælitus infuſus. 287
Lucius Martius. 121
Lucro magis quam honore vulgus excitari. 223
Lucta Panos & Amoris. 161

Ludo-

Ludouici XII. Gal. Reg. filia Renata. 130
Ludouicus Becatellus. 164
Lumen in lumine quid. 267
Luminis æterni beneficium inenarrabile. 286
Lumina flammifera Leonis. 309
Luſciniæ haud deſit cantio. 186
Lux in tenebris lucet. 295
Lynceus. 5

M

Magiſter ſagax vſus. 281
Magiſtra vitæ ratio. 330
Magnanimi ſepulchrum. 105
Magni animi eſt obtemperare legibus. 40
Magno vir animo errata corrigit ſua. 178
Magnos corpore à paruis ſæpe conſternari. 225
Maieſtatem qui ſcrutatur, opprimitur à gloria. 209
Mala aurea tria. 119
Mala fortuna colẽda ne noceat. 255
Mala omnia ex inerti luxu. 75
Malè parta, malè dilabuntur. 102
Mali Deum colunt modò ob pecuniam. 163
Malignitatis vindex Nemeſis. 145
Malis non cedendum. 195
Malorum omnium origo. 262
Malum nullum à natura uel à ſorte aduerſa. 157
Manſuetudinis vis. 97
Manus inſtrumentum maximum corporis. 352
Marcellus Ceruinus Card. 128
Marcellus conſul. 73
M. Antonius Flaminius. 263
Mar. Curius. 67
Marius Nizolius. 172
Marius VII. conſ. 239
Materia prima. 60
Materia tetra grauisq́;. 189
Matura celeritas. 175
Maximus Farneſius. 237
Medico propoſita ſalus. 13
Medicus ſupremus Chriſtus Deus. 117
Medijs conatibus ægra lumina deficiunt. 209
Meditationis, et moris potẽtia. 330
Medium inter duo extrema. 175
Memor cuſtodia rerum. 194
Memoria mater, vſus pater ſapientiæ. 283
Menelaus. 224
Mens animi maximum inſtrumentũ. 357
Mens immota manet. 207
Mens in labore quieſcit. 259
Mens in corde puro. 257
Mens lumen. 357
Mens mentis diuinæ imago. 139
Mens mentem intelligit. 7
Mens notha. 61
Mens nunquam exit ex ſe. 295
Mens omnia ſpeculatur, agit prudentia & arte. 356
Mens orbem illuſtrat retinet ſapientia mentem. 292
Mens pura. 129

M ens

Mens ſepienda robore ſuo in optimis. 162
Mens ſublimis triumphat. 167
Menſæ domeſticæ Symbola. 59
Mentem bonam non concuti. 206
Mentis caput quid. 287
Mentis felicitas. 288
Mentis humanæ origo. 325
Mentis, virtutis, & fidei templa. 139
Menſura optima rerum. 306
Mercedula mouetur vulgus. 223
Mercurius. 280
Mercurius Silens. 336
Merendo memores alios ſui facere. 219
ΜΕΣΗ vox. 99
Metus pudoris propugnaculum utiſsimum. 225
Miſeria honorata curialium. 262
Miſerum vni eſſe non poſſe quod omnibus eſt neceſſe. 322
Mixtum, & concretum nil eſt in animis. 325
Mnaſylus Plato. 25
ΜΟΛΥ 280
Modeſtia nil prius. 109
Modeſtia ſapientiam perficit. 216
Modus & pudor abſunt. 255
Molorchus Leo. 23
Momẽto præteruolat occaſio. 153
Monas in Senario. 173
Monas omnipotens. 305
Mons hæreditatis 347
Monſtra domat amor. 216
Montana familia. 349
Montis arx olympica. 353
Moralis philoſophiæ vtilitas. 275
Mores malos culpandos non externa. 157
Morionis Symb. 91
Mors finis malorum fortibus. 42
Mors immortalitatis cauſa contemnitur. 34
Mors norma vitæ. 344
Mors vita dulcior omni. 27
Mors viuens. 19
Mortalium artifex audacia. 315
Mortarium abenum. 241
Mortis contemptio metu cor liberat. 319
Mos Athenienſium in diuidenda ſacra pecunia. 223
Mugitus edat qui loqui neſcit. 244
Muliebris inconſtantia. 80
Mundi illecebræ doloſæ. 300
Mundi melioris origo Deus. 167
Mundus melior. 288
Myſteria cordi eſſe muſis. 117
Myſtica nequaquam inuentis hominum attribuenda. 287

N

Naiades riſere cur. 187
Naſicam corculum Roma dixit. 256
Natura mater inuentionis. 155
Naturæ munus maximum, mens. 357
Naturæ parens maximus Pan. 161
Naturam ducem vitæ ſequitor. 59

Naturam

Naturam imitandam. 10
Naturam rerum cognoſcere pulchrum pulchrius hominis. 276
Natus morienſque feſellit. 298
Nauium magiſtri propoſitum. 13
Nauticus funis. 75
Nebris Panos. 161
Nec nil, nec nimium. 174
Nectar quid ſit. 167
Negocia periculoſa. 255
Negotium cum ocio. 258
Negotium ſine periculo. 312
Nemeſis Fortuna. 137
Nemeſis titanicæ ſuperbiæ vindex. 145.
Neptunus. 141
ΝΕΘΗ vox. 99
Nihil difficile auſpice diuino numine. 273
Nil ſcire qui ſe ſcit, ſapit. 117
Nocendum nulli. 97
Noctua Palladis. 176
Norma aurea quid. 15
Norma temperantiæ. 145
Noſce te ipſum. 127
Noſcere ſe ipſum qui poteſt. 139
Notare docti. 79
Noxa primi parentis. 279

O

Obediendum principibus quamuis malis. 254
Obediētia abiecta Reſp. quæque corruit. 225
Obloquutores barbari. 245
Obſcura per aperta declarantur. 9
Occaſio amittitur inchoando, & remittendo. 185
Occaſionem ne amiſſeris. 152
Octauius Farneſius Dux. 91
Oculata fides, aurita prior. 10
Oculi ſunt in amore duces. 87
Oculus peruigil in pyramide. 207
Odium furiale ex amore. 355
Offenſio aſpera ex inepto iudice. 191
Officio perpetuo vincitur inuidia. 195
ΟΙΚΟΣ ΦΙΛΟΣ, ΟΙΚΟΣ ΑΡΙΣΤΟΣ. 232
Oleæ inuentrix Minerua. 141
Olor roſtro ſydus vomens quid. 15
Omnia adſunt quem penes eſt virtus. 49
Omnia tenenda ad ſumma tendenti. 317
Omnia vincit ſapiens. 328
Onera duo maxima, paupertatis, et ſenectæ. 157
Operoſa muſa. 10
Opinio. 150
Opinio pluris diuitias fecit. 89
Opinionibus ſopitis tenenda veritas. 131
Opinionum turba fallax. 151
Optima ab optimis. 163
Optima non accerſita veris ſimillima. 155
Oratoris facultas admiranda. 201
Orbem circino perficere, quid ſit. 237
Orbē pars altera circini perficit. 79
Orbem

Orbem tullit in orbe Chriſtophorus. 85
Orbiculi reſoni. 91
Ordo XL. virorū Senat. Bonon. 243
Orta occidunt. 321
Oſtentatio fugienda. 68
Otho Car. & Pont. Au. 291
Otia digna viris. 255
Otia lenta pariunt amores. 19
Otia læta Leocr. 169
Otium cum negotio. 258
Otium honeſtum præponendum in Rep. 311

P

Pacati corporis atque animi Symb. 169
Pallada colit eloquens. 217
Palladis ędes in capitolio. 139
Palladis auxilium quod. 287
Palladis Peplum. 141
Palladis ſimulachrum. 306
Pallas. 234. & 192
Pallas ceruo inſidens fugit. 172
Pallas ſapientia Dei. 185
Pallas tritonia. 21
Pallas virtus. 25
Pallas virtus eſt. 45
Pallas Vlyſsis comes. 32
Pan. 76
Pan Capripes. 365
Pan vincitur ab amore. 160
Pandore vas. 260
ΠΑΝΤΑ ΑΝΑΒΑΛΛΟΜΕΝΟΣ. 174
Panthoides Samius. 9 & 295
Paraphraſis carmine in Pſal. Daui. c vx. 347
Partem vtranque audiendam iudici. 115
Partes generis cuiuſque. 133
Partitio. 133
Paſſi crines quid. 255
Paſtor bonus quis. 9
Patientia antidotum vitæ. 107
Patientia nil pulchrius. 329
Patulcius Ianus. 357
Paulus III. Pont. Max. 12. & 326
Paulus Iouius Epiſ. Nucerinus. 187
Paulus Pinus Iur. Bon. Bonon. 215
Paupertatis Symbolum. 157
Pax albo colore ſignificatur. 243
Pax alma. 141
Pax eſt læta pijs vſque domi, atque foris. 169
Pax, & lætitia iuſtitiæ comites. 270
Pax humana, & diuina. 347
Pax Octauij. 357
Pax tuta duce iuſtitia. 309
Pecunia fruuntur mali, vt Deo vtantur. 163
Pecunia vir fortis nō corrūpitur. 66
Pedum Panos. 169
πελεκανος. 291
Pellacia fallacia. 131
Pellis direpta iudici. 125
Pennis ſuis Aquilam configere. 63
Peregrinatio Pythagoræ. 282
Peregrinus Zambeccharius. 337
Perfectio beat. 347
Perfectio ſumma animus. 325
ΠΕΡΙΚΛΗΣ. 200
Perillus. 244


f Peritus

Peritus notat. 79
Perſeuerantia. 182
Perſeus. 23
Perſica auis Gallus. 117
Perſpicuitas in verbis proprijs. 155
Petenda ab optimo optima. 163
Phalaris. 244
Philippus Carolus Ghiſilerius. 335
Philippus Macedo. 43
Philippus Pepulus. 105
Philologia ſymbolica. 340
Philomela garrula. 187
Philoſophia moralis. 274
Philoſophia natural. 264
Phlegræum fulmen. 241
Phocæ cupidineæ. 131
Phrygius Aeſopus. 9
Phryx plagis melior. 148
Pictura poeſis. 9
Picturæ vis. 8
Pietas auguſta. 48
Pietas quid. 167
Pietas ſumma volupt. 167
Pijs arcana plerunq; reuelatur. 287
Pios ſemper iuuat Deus. 188
Piper tolle primus è Camello ſitiente quid. 203
Piſtillum ferreum. 241
Pitys amatur à Pane. 355
Pitys in arborem verſa. 355
Pius Aeneas. 205
Pius poteſt ac vult. 127
Plataleæ natura. 291
Plato inſtar omnium fuit Antimacho. 339
Platonicus amor. 45
Platonis dogma de Genio piè colendo. 345
Platonis ſcripta de ĩmortalitate. 35
Platonis ſententia. 312
Platonis Symbolum. 89
Plumbea amoris tela. 29
Plutus pater malorum. 200
Poemata picta. 9
Pœna quæ ſine verſura graui diſſoluitur. 41
Pœnitentia. 150
Polus aſtrifer quid. 255
Polus ĩ capite fortunæ q̃d notet. 137
Pollus. 214
Pompeius Zambeccharius. 207
Pomponius Gauricus. 35
Popularis auræ captor. 91. & 183
Portus excelſus in medijs fluctibus 229
Poſteritatis curam habuit Hippocrates. 179
Præpetes pennas euellere de Aquila quid. 63
Præſentibus vtere. 253
Precatio ſtultiſſima quæ. 163
Prĩceps talis erit bonus piusq;. 264
Principibus parendum. 225
Principis officium. 144
Proficit ſperans. 343
Progreſſio eloquentiam parit. 216
Prometheus unde homines animaſſe dicatur? 287
Properandum non eſſe nimis. 175
Prophanum vulgus ſacris abſiſtat. 286
Proportio monados ad triada. 305
Propria

Propria verba optima. 155
Proſperus pictor. 7
Proteus. 130
Prudens eſto, non oĩbus dormio. 176
Prudens, & fidus Achates. 205
Prudens, & iuſtus ſolatium etiam capit ex acerbis. 213
Prudens (vt aiunt) foro ſcit vti. 311
Prudens ratio, fortis meditatio, doloribus medentur. 327
Prudentia Auguſta. 291
Prudentia circunſpecta. 229
Prudentia ex præteritis. 282
Prudentia imperat libidini. 246
Prudẽtia malũ genium repellit. 155
Prudentibus, & diligentibus felicitas a Deo. 185
Pulueris Bombardici inuentio. 240
Puluiſculi ſcriptorij commoda. 146
Pyramis. 207
Pyramis ſubrecta. 343
Pyramis Symbolum gloriæ. 95
Pyrrhus Bocchius. 344
Pythagoras. 9. & 162.
Pythagoras Samius. 282

Q

Quadrata penſilis lucerna. 294
Quadrata rotũdaq; penſare q̃d? 229
Quadrata ſedes virtutis. 95
Quadrato numero hæc fit vrbs beata. 242
Quadratum ſaxum auguris. 163
Quæ ſupra nos nihil ad nos. 116
Quærens, petens, inſtans omnia conſequitur. 343
Quæſtio cæcorum quæ. 89
Quater ſolida virtus. 207
Quatuor primordia rerum. 306
Quies irrequieta. 19. & 259
Quieto animo eſſe non poteſt, qui timet quod vitari nequit. 322
Quietus in puppi tenet clauum ſenex. 159

R

Rapti Ganymedis honores. 167
Ratio. 294
Ratio norma eſt. 15
Ratio oppugnatur, ab opinionum turba. 151
Ratione ſagaci verum tenendũ. 131
Rationis, et libidinis certamina. 150
Rationis humanæ q̃d proprium. 247
Rationis iudicium. 99
Raynutius Farneſius Card. 73
Rectum ſcopus rationis. 247
Reges ĩdefeſſa cura ſuorũ teneri. 205
Reginaldus Polus Card. 169
Reginaldus Nerlius. 279
Regnum verum hominis. 143
Regum fortuna quæ. 51
Reipub. moderatoris propoſitum. 12
Religio. 85
Religiõis calamitas ũde oriatur. 286
Religionũ admonẽt res aduerſæ. 149
Remex ſecat æquora tonſis. 159
Renata Ferrarię ac Carnuti Princ. 130
Reptillis perduelis. 103
Repulſæ impatiens amator. 355
Reſina ex lacrymis Pitys. 355
Rhamnuſia Nemeſis. 137
Rhetorica chimera. 315

*Rhintonis prouerbium.* 113
*Riualitas duriſsima.* 16
*Robertus Magius.* 167
*Robore animi durandum.* 163
*Romulus Amaſæus.* 293. 297. et 311
*Roſæ pubeſcentes ſeneſcunt.* 253
*Rudentibus apta ſors.* 33
*Ruina familia.* 343

S

*Sacrificium Deo cor demiſſum.* 128
*Salum, ſolum, cœlum uenus urit* 61
*Salus omnium.* 12
*Salus tutelaq; eſt ibi, vbi reuerentia, & pudor.* 224
*Salutis ſymb. crux.* 243
*Samnitium legati.* 67
*Sapere foris.* 79
*Sapere intus quid.* 79
*Sapere intus, et extra.* 273. & 276.
*Sapere non oportet plus, quàm oportet ſapere.* 117
*Sapiens.* 93
*Sapiens, fortis, beatus, diues, pulcher, inuictus, liber. Rex Regum.* 328
*Sapiens, hominum ſtultitias deuorat.* 291
*Sapiens nil timet, nec dolet, neque cupit.* 335
*Sapientes cur laudantur.* 282
*Sapientia duce eloquentia comparatur.* 217
*Sapientia formoſior aurora, luna, ſole, venere,* 27
*Sapientia immortalis auguſta.* 47
*Sapientia nil pulchrius.* 377
*Sapientia prima.* 1
*Sapientia vera.* 299
*Sapientia vera Deus eſt omnipotens.* 77
*Sapientia vna ſemper eadem.* 339
*Sapientia vnigena eſt Dei Max.* 117
*Sapientia vſus filia.* 283
*Sapientiæ ſpecies.* 26
*Sapientiæ ſtudio nil prius.* 327
*Sapientiæ Symbolum eſt Aquila biceps.* 47
*Sapientum dogmata pietati Chriſtianæ coferenda, non miſcenda.* 277
*Sapina Torrens.* 333
*Satietatem vitandam.* 10
*Satis inter nihil & omnia.* 175
*Satis quid ſit videndum.* 147
*Saturni vrna.* 20
*Scapi pinnarum Symb.* 93
*Scenæ & tempori ſeruiendum.* 310
*Sceptrum Adraſti liliatum.* 144
*Scænobates.* 123
*Scientia rei militaris.* 49
*Scipio.* 121
*Sebaſtianus Corradus.* 257
*Sebaſtianus Pighinus Card.* 209
*Sebaſtianus Sceleupenerius.* 46
*Seculum fœlix quod.* 69
*Securitas innocens.* 352
*Securitas pacis ex iuſtitia.* 309
*Securitatis diuinæ lætitia.* 167
*Semiaquila.* 260
*vide in fine operis.*
*Senarij numeri vis.* 295
*Senatus. P. Q. Bon.* 243
*Senectutis ſymb.* 156
*Senex*

*Senex ingenio plus facit, ac iuuenis viribus.* 159
*Senſilia animum fallunt.* 285
*Senſus inſani.* 131
*Senſus quinque virtuti parent.* 105
*Sententiam, & voluntatem optimè mutari poſſe.* 312
*Sentes aſperos indoctorum vitandos* 253
*Septenario nil ſanctius.* 229
*Septengeminus orbis.* 99
*Serò potius, quàm nunquam ſapere eſt opus.* 300
*Serpentis Symbo.* 306
*Seruatrix fortuna.* 157
*Seueritas inuſitata.* 125
*Sic monſtra domantur.* 216
*Sic vos non vobis fertis aratra boues.* 83
*Sigillum aheneum fortunæ auguſtæ* 136
*Sigillum aheneũ malæ fortunæ.* 255
*Silentio Deum cole.* 136
*Silenus ſapiens.* 25
*Simplicibus peſsima contraria.* 155
*Simulachrum Franciſci Valeſii Regis Gal.* 52
*Socrates.* 7 & 132. & 274
ΣΟΚΡΑΤΗΣ. 192
*Socrates è cœlo ſapientiam in terras deduxit.* 276
*Socratis genium ſuũ piè coluit.* 345
*Socrates ſapiens, quia nihil ſe ſcire confeſſus eſt.* 317
*Socrates ſenex Hymeto nutritus.* 117
*Sol iuſtitiæ.* 30
*Solida gloria ſequitur.* 91
*Somnus quies animi.* 1
*Securitas.* 121
*Sophiſtæ.* 109
*Sophiſtas propulſat orator.* 201
*Sophoclis ſententia.* 225
*Sopor abſit à naui portum ſubeunte* 203
*Sors inſtabilis haud expetenda* 32
*Sors noua ſæpe uenit melior.* 203
*Sors Palladi ſalutis habet gratiam* 111
*Sorti cæcæ credulus bellua fit.* 142
*Spartæ pueri cæſi ad aram.* 330
*Spartani animi magnitudo.* 41
*Species rerum publicarum.* 8. & 243
*Species rerũ vertere profitentur Alcumiſtæ.* 241
*Specularia concaua flammas concipere.* 129
*Speculum Socraticum.* 126
*Specus errorum.* 131
*Speranda à ſuperis meliora.* 111
*Sperat qui fidit.* 343
*Spes Auguſti Sforciæ.* 220
*Spinis diuitiæ comparantur.* 274
*Spinoſa faceſſant.* 252
*Spiritus viuificat litera occidit.* 284
*Spreta in tempore gloria cumulatior redit.* 211
*Spuria cogitatio.* 60
*Stagyræus Ariſtoteles.* 10
*Stephanus Saulius.* 217
*Stercus Crocodilli, ſuaue, & morbis vtile*

vtile. 211
Stoica virtus ſat eſt ad fœlicitatem. 238
Studia contraria vulgi. 286
Studia in mores abeunt, habituſq; perennant. 275
Studio, et labore perfici eloquentiam. 93
Stulti in contraria currunt, vitia dum vitant. 145
Stultitia triplex. 1
Stultum iudicium vulgi. 93
Stultus malo accepto ſapit. 148
Stratus humi ſumma tenet. 317
Sulphure, nitro, carbone Caligno, puluis Bombardicus conficitur. 241
Summa petat quicunque bonum ſummum expetit vltro. 285
Summa tenet quiſcit ſe nihil ſcire. 317
Summum bonum præſtat fides. 286
Superbia comis inuiſa. 55
Superbia nil ſtultius. 143
Superbus, & inſolens quis habendus. 225
Supremus dies de omnibus iudicat. 335
Suſtine, & abſtine Rex eris. 59
Sutura decepit Hippocratem. 179
Symbola. 1
Symbolis magnam habendam gratiam. 340

T

Talis qualis haberi amabis, eſto. 192
Taurus Herculis. 23
Taurus Perilli. 244
Temeritas non ſemper fœlix. 177
Temperies animi. 273 & 335
Templum aureum Dei. 347
Temporis modicum rebus agendis impartiendum. 147
Tempus. 31
Tempus noſce. 152
Tenebræ ex luce. 209
Tenere medium ſemper eſt prudentiæ. 122
Ter purè inſtituendum animum. 285
Terebra gallica vtilis. 149
Terræ Symb. 60
Teſtudo non niſi peracto conuiuio Iouis aduenit. 233
Teucer. 224
ΘΑΥΜΑΣΤΟΣ 172
Thaumaſtus canis quid. 172
Theatrum amicus amico. 339
Theatrum nullum uirtutis, quàm conſciam mentem honeſti. 329
Theramenes. 318
Theſaurus rerum memoria. 294
Titianus Pictor. 296
Timet, temnitq; nihil qui ſapit. 123
Timor ex amore. 17
Timor religionis cauſa. 73
Tintinnare. 91
Tireſias Foſcerarius. 117
vide in fine operis.
Tirynthius. 113
Torques aurea quid notet. 229
Tottus Mutinenſis. 29
Transfiguratio CHRISTI Dei noſtri 208

Tres

Tres partes Rhetoricæ, leo forenſe genus. 31
Triados uires. 305
Tribulus qui murex. 306
Tumulus Cleombroti. 35
Tybris. 207

V

Veianius. 299
Venetis Adriatici maris cuſtodia diuinitus data. 309
Venetorum ſymbolum. 308
Venus. 150 & 170
Venus materia rima. 60
Venus voluptas. 25
Vera indaganda. 9
Verax oraculum. 299
Verba reb. accommodanda. 154
Verba ſimplicia, & coniuncta 31
Verbi cõtrouerſia torquet græculos homines. 25
Verbum Dei cib. animi. 59
Veri, falſi, probabiliſq; ſigna. 133
Veris deſcriptio. 187
Veritas. 131
Veritas ex diſputat. 108
Veritas intelligenda. 290
Veritas ſatis extat. 68
Veritatis confeſſio magnanimos decet 179
Veritatis diligens ſecurus. 353
Verum. 78 & 150
Verum è latebris excuſſum. 109
Verum intus. 79
Verum ex virtute decus. 73
Verum vbiq; captandum. 10
Veſtibulum honoris virtus. 72
Vexillũ crucis purpureæ Bonon. 243
Vexillum Iuliani imp. 63
Vgo Pepulus. 195
Victore à ſummo vinci victoria ſumma eſt. 161
Victoria duci propoſita. 13
Victoria victa. 150
Vigilare intus & exterius. 259
Vim maximam eſſe in paruulis. 196
Vim nec parẽtib. nec patriæ afferenda eſſe. 313
Vim ſtomacho appoſitam noſtro conpeſcendam. 227
Vincere ſe ipſum ſemper victoria ſũma eſt. 165
Vincit qui patitur. 106
Vindicta Dei eſt. 195
Violare genium quid ſit. 155
Violentum nil eſſe, nõ ruiturum. 247
Vir fortis acie non vincitur. 66
Vir ſapiens ſchænobati ſimilis. 123
Virga Mercurius animas euocat orco. 217
Virtus conſcia excitat hominem. 79
Virtus etiam claret in tenebris. 235
Virtus, honoris veſtibulum. 72
Virtus imperatoria. 49
Virtus ipſa ſibi ſufficit. 141
Virtus ipſa ſibi niſi conſtet nomen inane eſt. 239
Virtus magna, maior, maxima. 97
Virtus pan. 355
Virtus regia neque vinci neque fingi poteſt. 52

Virtus

*Virtus ſatis ſibi pulchra merces.* 211
*Virtus ſumma petit.* 105
*Virtus ter maxima.* 137
*Virtus virtutẽ fingere ſola poteſt.* 53
*Virtutes præclareque geſtæ res iuſtitiæ ſorores.* 267
*Virtutis, & felicitatis formula.* 274
*Virtutis, & opum diuerſa ratio.* 88
*Virtutis ſpectaculo nil iucũdius.* 277
*Vis duplex mentis.* 357
*Vis eloquentiæ.* 200
*Vis memoriæ viuida.* 325
*Vita beata in bonis moribus.* 59
*Vita breuis.* 252
*Vita ſine querela optima.* 212
*Vitæ bona falsò credita.* 302
*Vitæ genus ſecurum.* 299
*Vitæ mortisque liberatio.* 335
*Vitium Boreas.* 355
*Viuit vt Deus qui mente viuit.* 139
*Vlyſſes.* 280
*Vlyſſes orator ſecurus.* 9
*Vlyſſes Polytropus.* 283
*Vngues per veſtem parcere quid?* 69
*V[illegible] Dea inuiſa cornix.* 231
*Vnus pro populo.* 339
*Voluntas imperioſa.* 294
*Voluntas corrupta fallitur.* 127
*Voluptas ſuprema imploranda.* 127
*Voluptas aliqua in nocte.* 39
*Voluptas cum virtute.* 24
*Voluptas empta dolore.* 148
*Voluptas non corporis, ſed animi.* 167
*Voluptas vera in cognitione, cultuq; Dei.* 166
*Vox matura.* 276
*Vrnæ duæ in Iouis limine.* 21
*Vrſina Craſſa Volteia matrona clariſſ.* 107
*Vſum magiſtrum vnum optimum.* 280
*Vſus rerum magiſter.* 78
*Vſus ſapientiæ pater.* 283
*Vtilitas artes omnes commendat.* 275
*Vtilitas ſimul, & Honeſtas attendenda.* 59
*Vulgi cohors indocta.* 45

Υ

ΥΛΗ. 60
ΥΠΑΘΗ vox. 97

Z

*Zephyri ſupremi aura.* 337
*Zephyrus genitabil.* 187


*FINIS.*



# SAPIENTIA PRIMA EST STVLTITIA CARVISSE.

## AD LECTOREM.

*Symbola lector habe: nunquam inſpexiſſe pigebit,*
*Ne te pœniteat, ſi potes inſpicere.*
*Non ſum: inquis: Lynceus: atqui collyria, lippus*
*Sis memor affectis poſcere luminibus.*
*Cæcus es? audire, & meliori credere diſce.*
*Irrides? opus eſt iam tribus anticyris.*
*Non vis? nunc actum eſt. caput inſanabile prorſum.*
*Ergo miſer vinclis dignus es, & baculo.*

# VICTORIA EX LABORE

## HONESTA, ET VTILIS.





# LECTORI STVDIOSO, ET ELEGANTI.

## SYMB. SYMBOLORVM.

*Qvid Symbolum ſit, ne amplius*
*Roges, breuiſsime, vt poteſt,*
*Conabimur nunc edere.*
*Eſt nanq; ſignum* ΣΥΜΒΟΛΟΝ
*Vt ſigna militaria.*
*Collatio etiam dicitur,*
*Quòd multi in vnum conferunt.*
*Hinc ſymbolum Terentius*
*Poeta dixit nobilis.*
*Orator* ARPINAS *notam,*
*Sed Anulum Graij vocant*
*Plærunq; ſignatorium.*
*Porrò omen, atq; inſignia.*
*Iſto quoq; ipſo nomine*
*Quædam notantur teſſeræ,*
*Quæ à ciuitatibus dari*
*Solent quibuſdam, publicè*
*Vt quenq; par ſit accipi,*
*In fœderatis oppidis,*
*Amicè, & hoſpitaliter.*
*Sic poſſumus iam teſſeras*

*Vocare collybiſticas,*
*Quaſi inſtitutas omnibus*
*Mutandam ad externam locis*
*Pecuniam, quæ litteræ*
*Vulgò feruntur cambij.*
*Pollux nomiſma paruulum,*
*Stagyræus ille maximus*
*Vocabulorum originem:*
*Quam originationem ait*
*Fabius. fuere ſymbola*
*Priſcorum in arcanis diu*
*Myſterijs, vt gratia*
*Verbi, papauer fertilem*
*Signabat annum. Huiuſmodi*
*Sunt Pythagorica Symbola*
Ἀλληγορίαι, Αἰνίγματα,
VT ALCIATI *Emblemata*
*Dicuntur &* Συνθήματα,
*Myſteriorum plena, quæ*
*Documenta commodiſsima*
*Illa omnium, & pulcherrima*
*Vitæ, atq; morum continent,*
*Sanis retecta, cæterùm*
*Incognita imprudentibus.*



*Nolim putes cariſsime*
*Lector, figuratè iſta, quæ*
*Diuinitus ſunt tradita,*
*Sic prodita eſſe de nihilo,*
*Et ſenſum in illum, quem indicant,*
*Exaudienda protinus,*
*Sed inuolucra eſſe abdita*
*Scientiæ haud erraticæ,*
*Nec peruagatæ, ſcilicet*
*Ne ſacra polluant mali,*
*Et ſancta quiq; perditi.*
*Patere quæ debent bonis,*
*Ac puritatem candidam*
*Tantummodo colentibus,*
*Qui ſummouere prorſus, &*
*Arcere procul à mentibus*
*Vulgi ſciunt, queunt, volunt*
*Senſus prophanos quoslibet.*






# IN BOCCHIANIS SYMBOLIS

## INTELLIGI PLVS, QVAM EXPRIMI.

### TIRESIAS FVSCÆRARIVS.

### Symb. II.

PROSPERVS *os potuit, non mentem pingere Achillis.*
*Res minimo pingi maxima in orbe nequit.*
*Pura tamen Mens ipſa poteſt comprendere Mentem.*
*Quiſapit, heic plus intelligit, ac legitur.*

# PICTVRA GRAVIVM OSTENDVNTVR PONDERA RERVM.

## QVÆQ. LATENT MAGIS, HÆC PER MAGE APERTA PATENT.






# AD ALEXANDRVM FARNESIVM CARD. AMPLISSIMVM.

## Symb. III.

*Iudicio Phœbi ſapientum maximus ille*
*Et fons, & lumen, ſi fortè obſcura prophani*
*Vulgi in cognitionem olim deducere vellet,*
*Quæque ſibi in primis notiſsima proponebat.*
*Sic etenim haud ab re firmiſsima cuncta putabat:*
*Ac tutiſsima, non modò lucida, de quibus ipſe*
*Diſſerere aggrediebatur. Sic magnus Homerus*
*Securum oratorem Ithacum laudauit Vlyſsem.*
*Quippè animos hominũ trahere his quocunq; liberet,*
*Concilians ſibi paſsim omnes per maximè aperta.*
*Propterea quicunq; bonis fœliciter eſsent*
*Progreſsim ſtudijs, non ſunt tam arcana ſecuti*
*Omnia, vt aſsequerentur prorſus: at eſse putabant*
*Quædam pauca ſatis, poſsent ſi attingere parcè,*
*Quæ ipſa irritamenta forent gratiſsima deinceps*
*Veri indagandi. Vates ſic condidit ille*
*Fabellas Phrygius bellas. ſua ſymbola quondam*
*Panthoides ſamius. Sic dia poemata vates*
*Pinxere, atq; homines mirè allexere, libenter*
*Auribus ut uellent aurire, & credere honeſta,*

*Quæ fuerant oculis ſubiecta fidelibus ante.*
*Ergò mihi nemo obijciat, quòd ſeria inani*
*Pictura grauium oſtendendo pondera rerum,*
*Miſcere annitar ſumma cura utile dulci,*
*Si quà fortè queam laudis punctum omne tuliſſe,*
*Ne ſatias quenquam capiat, Naturam imitari*
*Conſtitui, & varias ſenſis inducere formas,*
*Nil vt iners, nil non aliquid ſit agensue, loquensùe.*
*Me ſanè impediunt nullius vincula ſectæ.*
*Sed quocunq; trahit ſpecies pulcherrima Veri,*
*Deſeror hoſpes, apiſq; Matinæ moræ, modoq;*
*Lilia per multum libantis grata laborem*
*Fingo itidem tenui, aſt operoſa carmina Muſa,*
*Aurea depaſcens veterum decreta Sophorum.*
*Tu verò interea, Farneſi Maxime, noſtra*
*Ne rogo ne ſpernas hæc qualiacunq;: repoſco*
*Gratiam ego inuentis, ſed omiſſis, vt Stagyræus*
*Optime Ariſtoteles, ueniam. mihi ſat voluiſſe,*
*At facilem erratis par eſt te ignoſcere noſtris.*
*Nam ſimul inuentum, et perfectum nil fuit inquã.*
*Si rudia iſta polire aliquis dignabitur olim*
*Aut defecta explere, id forſitan efficietur*
*Quod cum fructu aliquo multos cognoſſe iuuarit.*

## REFERRE DEBENT IN DEVM OMNES OMNIA.

### Symb. IIII.






## PASTORIS OPTIMI SCOPVS.

### Symb. III.

*Cvrſus ſecundus vt magiſtro nauium,*
*Medico ſalus: ſummo Duci victoria,*
*Ita moderatori inclyto Reipublicæ*
*Primum omnium beata vita ciuium eſt*
*Propoſita, vt opibus firma ſemper, copijs*
*Prædiues, ampla gloria, virtuteq;*
*Honeſta ſit. nanq; huius operis ter maximi*
*Inter homines, atq; optimi, effector qui erit,*
*Hic ille erit paſtor bonus, ſimilis Deo,*
*Quò nemo non referre debet omnia.*

## INSIGNIA GENTILITIA BOCCHIORVM.

### Symb. V.






## PVRA MENTE DEVM OMNIB. COLENDVM.

### Symb. V.

*Avrea norma tribus ſtellis circundata ſignat*
*Ceruleo Bocchi ſtemma tuum in ſpatio.*
*At niueus galeæ paßis olor inſidet alis,*
*Roſtro aliud ſydus qui vomit aetherium.*
*Optima nimirum Ratio eſt illa aurea norma,*
*Quæ trino, atque vno à lumine lumen habet.*
*Hinc candor vitæ illæſus, diuinaq́; fandi*
*Copia: præſidio hinc additur omne decus.*
*Maurus auis quondam hæc veſtris inſignia Boc-*
*Et gentilitium nomen habere dedit. (chus,*
*Ad ſummam tota ſemper Ratione colendum*
*Eße Deum tota mente Nomiſma monet.*

## RIVALITAS CVPIDINIS DVRISSIMA.

### Symb. VI.





## MAGNO EX AMORE SÆPE MAGNVS EST TIMOR.

### Symb. VI.

*Avrea dum precibus miſeri exoratus amantis*
*Tenderet in Dominam tela Cupido trucem,*
*Illa dolos ſenſit, petosq́ retorſit ocellos,*
*Et ridens pueri tela ferocis, ait.*
*Nil opus eſt pharetra, ſinuoſo nil opus arcu.*
*Congredere, & vires experiare meas.*
*Dixerat. hæc tenero placuit ſententia Amori.*
*Tanta fuit Dominæ gratia, tanta Venus.*
*Aſt vbi ſunt arcus poſiti, poſitæq́ ſagittæ,*
*Has rapit vltrici protinus illa manu.*
*Nec mora protendens arcum furialiter acrem:*
*Incauti figit pectora nuda Dei.*
*Ictus Amor totus ſubito inflammatus amore*
*Victricem in Dominæ ſe dedit ipſe manum.*
*Prò dolor, ille mihi quem nuper adeſſe putaram,*
*Riualis iam nunc, durus & hoſtis erit?*

## AMOR NEGOCIOSVS EST IN OCIO.

### Symb. VII.





## QVANTVM POSSIT AMOR, QVI VITAM IN MORTE MINISTRAT.

### Symb. VII.

Iam dudum in tenues ierunt mea corda fauillas,
  Iamq; cinis factus qui modo pruna fui.
Sed licet in tenues ierint mea corda fauillas,
  Iamq; cinis factus qui modo pruna fui,
Hæc tamen aſsiduis vruntur pectora flammis,
  Quoq; magis flagrant, hoc magis ipſe gemo.
Vnde igitur flagrant? rediuiui vnde ignis origo,
  Si ſunt in cinerem corda redacta ſemel?
Nempè faces ipſæ flagrant, non cordis imago,
  Quam vacuus nunquam figere ceſsat Amor.
Cur lacrymas augent incendia? liquitur igni
  Humoris toto corpore quicquid ineſt.
Vix credam tanto vitam ſupereſſe calori.
  Albia ſed vitam ſufficit vna mihi.
Vrenteis pariunt ſemper lenta otia amores,
  Vnde eſt mors viuens, irrequieta quies.

# MEDIO DE FONTE LEPORVM SVRGIT AMARI ALIQVID.

## Symb. VIII.






# COMES VOLVPTATIS DOLOR.

## Symb. VIII.

*Ipſa dies pia nunc mater, nunc ſæua nouerca eſt*
*Nãnq; aliquid ſemper miſcet Saturnus amari.*
*Hinc geminas prudens vrnas in limine primo*
*Stare Iouis quondam pulchrè eſt cõmenta vetuſtas,*
*Ex quibus vna malis ſcatet: altera plena bonorũ eſt,*
*Vndè agitant ſuperi mortalia pectora, lætis*
*Triſtia miſcentes. ipſi lætantur, & omni*
*Aeternum mœrore carent, nulloq; ſeneſcunt*
*Tempore, ſed ſtabili curſus circùm æthera lege*
*Deproperare ſuos, nulloq; fatiſcere ſeclo*
*Hos iubet omnipotens ſummi regnator Olympi.*

## CONSTANTIA HEIC EFFINGITVR.

### Symb. IX.





## BARTHOLOMEO VOLTEIO.

BON. EQV. AVRATO.

### Symb. IX.

*Stat læto indefeſſa comes Conſtantia vultu,*
*Indomitum munita fero latus enſe, tenetq;*
*Aegida lemniaca ſudatam incude, nec vllas*
*Pertinet inſidias, nullis dat terga periclis,*
*Sed cunctis immota malis, animoſaq; ſemper*
*Rebus in aduerſis, pugnaci prœlia dextra*
*Exercet, validaq; ferox confidit in haſta.*
*Hac duce per varios caſus, longosq; labores*
*Aeneas olim fatis iactatus iniquis*
*Italiam profugus, lauinaq; regna petiuit.*
*Hac duce Gorgoneos angues Danaeius Heros,*
*Nec minus Alcides tot monſtra ingentia fudit.*
*Non hic Lernæi timuit fera colla Draconis,*
*Non ſæui Diomedis equos, non dira Leonis*
*Ora Molorchei, validi nec cornua Tauri.*
*Quin Stygij eſt auſus penetrare in regna Tonãtis,*
*Et trahere ad ſuperas captiuum cerberon auras.*

# CVM VIRTVTE ALMA CONSENTIT VERA VOLVPTAS.

## Symb. X.





## DE SILENO, ET CHROMI, ET MNASYLO.

## Symb. X.

*Sileno Pallas ſimul & Venus alma corolla*
*Dum caput exornant, ipſe beatus ait:*
*Quid diſcors te adeo torques de fine bonorum*
*Græculæ? res eadem eſt, verba ſonant aliud*
*Viue bene, atq; illud quod viuis viue, Voluptas*
*Vna etenim, & Virtus in ſtatione ſedent.*
*Suſtinet aſſenſum interea Mnaſylus vtranq;*
*In partem, & tutus neſcio quid meminit.*
*At Chromis irritans ſenſus, pateramq; Lyæi*
*Nequicquam expectans, ocia læta agitat.*

SAPIENTIÆ SPECIES INENARRABILIS.

## Symb. XI.






COSMO MEDICI DVCI FLORENTIÆ.

## Symb. XI.

*Qvænā ſeſe offert? Quænā hæc tam Lucida, tamq;*
*Formoſa exoritur? roſeiſne euecta quadrigis*
*Fulgida Tithoni coniux? an candida Phœbe?*
*An magè inexhauſta flammantia mœnia mūdi*
*Lampade qui luſtrat Sol aureus? an Venus ipſa,*
*Purpuream referans lucem mortalibus ægris?*
*Pace tua coniux Tithoni, & candida Phœbe,*
*Et Sol, atq; adeo Solis prænuncia dicam.*
*En maius iubar exoritur, cui ſydera cedunt*
*Omnia, cui ſuperi aſſurgunt, aſſurgit Olympus.*
*Huc ades ò ſecli decus: ah mihi pande ſerenam*
*Illam illam frontem, ſub qua duo lumina fulgēt,*
*Quæ triſteis animi tenebras, & nubila pellunt.*
*Pande illa illa roſis certantia tempora vernis,*
*Quæ ver perpetuum referunt, dulciq; pudore*
*Formā ipſam ſuperant, ſeu quid formoſius illa eſt.*
*Huc ades, & totum me dulcibus obrue flammis,*
*Traijce ſexcentis præcordia noſtra ſagittis,*
*Vulnera, adure, neca. ſic ſic iuuat vſq; perire.*
*Iſta mihi longe eſt vita mors dulcior omni.*

## CVPIDINI CÆCO PVELLO HAVD CREDITO.

### Symb. XII.





## DE TOTTO MVTINENSI.

### Symb. XII.

*Dvm ſæuam Tottus toto ardet corde puellam,*
*Nec valet hanc precibus flectere, nec precio,*
*Supplicibus tenerum lacrymis exorat amorem,*
*Illius vt feriat vulnere corda pari.*
*Aut ſua reſtinguat liuenti incendia plumbo.*
*Tunc Deus in Tottum plumbea tela iacit.*
*Quæ ſubitò ſeſe opponens, ac pectore duro*
*Excipiens, ſolitò obduruit illa magis.*
*Mox etiam inſultantis, & aurea ſpicula iam iam*
*Tendentis pueri vi rapit è manibus.*
*Inde ferox miſeri rurſum transfigit amantis*
*Saucia Lætiferis pectora vulneribus,*
*Atq; age, dixit, abei. iam te ſuſpende. Quid vltra?*
*Ille libens dominæ paruit imperio:*
*Sexcentasq́; neces vna nece vicit, & vno*
*Innumeros laqueos diſſoluit laqueo.*
*I nunc fide armis pueri. eius caſtra ſequaris.*
*Militiæ hæc referes præmia digna tuæ.*

# AMORIS ANTIPHARMACVM.

## Symb. XIII.






# SENTENTIA MEMORABILIS.

## Symb. XIII.

*Fames amorem ſedat atra. ſin minus,*
*Tempus. niſi hoc: Laqueus erit tandem ſatis,*
*Sententiam hanc Crates tulit. Si quis negat*
*Probabit illicò, vt periclum fecerit,*
*Ita laqueo laqueum [illegible]um amoris ſoluier.*

# SORS INSTABILIS HAVD EXPETENDA EST ADMODVM.

## Symb. XIIII.





# DE MERCATORE, ET LACONE.

## Symb. XIIII.

*Qvum fortè diues gloriaretur nimis*
*Mercator olim, quippè qui dimiſerat*
*Naues in omnem oram maritimam plurimas,*
*Tunc ſic Lacon. haud iſta ſanè optabilis*
*Eſt admodum, inquit, apta ſors rudentibus.*

# VITAE IMMORTALIS STVDIO MORS TEMNITVR ATRA.

## Symb. XV.





### TVMVLVS CLEOMBROTI AMBRACIOTÆ.

## Symb. XV.

*Ambraciota mari ſitus ille Cleombrotus alto eſt,*
*Alto qui potuit temnere mortem animo.*
*Nanque vbi mellifluı legit diuina Platonis*
*Scripta, & ſi aduerſi tum nihil acciderat*
*Præcipitem è muro dedit huc ſe vt fluctibus iſtis*
*Curarum fluctus obrueret varios.*
*Felix ò pelagus titulo hoc: felicia & oſſa*
*Quo tumulo poterant nobiliore tegi?*

### CONTRA GRÆCVM ILLVD EPIGR.

ΕΙΓΑΣ ΗΛΙΕ ΧΑΙΡΕ ΚΛΕΟΜΒΡΟΤΟΣ
ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΗΣ
ΗΛΛΑΤ ΑΦ ΗΨΗΛΟΥ ΤΕΙΧΕΟΣ ΕΙΣ ΑΙΔΟΥ
ΑΞΙΟΝ ΟΥΔΕΝ ΙΔΩΝ ΘΑΝΑΤΟΥ ΚΑΚΟΝ
ΑΛΛΑ ΓΛΑΤΩΝΟΣ
ΕΝ ΤΩι ΓΕΡΙ ΨΥΧΗΣ ΓΡΑΜΜΑΤΙ
ΑΝΑΛΕΞΑΜΕΝΟΣ.

*Latine ſic Pomp. Gauricus reddidit.*

*Vita vale, muro præceps delapſus ab alto*
*Dixiſti moriens Ambraciota puer,*
*Nullum in morte malú credens. Sed dicta Platonis*
*Non ita erant animo percipienda tuo.*

# LABORIS ONVS HONOS LEVAT.

## Symb. XVI.





# CAMILLO VRSINO BELLI DVCI FORTISSIMO

## ONVS DVCIS MINVS GRAVE EST, AC MILITIS.

## Symb. XVI.

*Iidem labores haud graues*
*Sunt imperatori æque, & militi,*
*Quòd ipſe honor magis leues*
*Semper labores imperatorum facit.*

## QVALIS BONI SIT MILITIS IN IMPERATOREM METVS.

*Dux inclytorum nobilis*
*Lacedæmonum conſueuerat*
*Clearchus olim dicere.*
*Metui imperatorem magis*
*Debere, quam hoſtem à milite.*
*Rectè quidem ille. ego attamen*
*Miles metuat hoſtem meus*
*Nolim. Imperatorem velim.*

## NONNVLLA EST ETIAM CAECIS IN NOCTE VOLVPTAS.

### Symb. XVII.






## DE ANTIPATRO CYRENAICO CAECO.

### Symb. XVIII.

*Fortè Cyrenaicum Antipatrũ muliercula quædã*
*Luminibus captum vidit, & ingemuit,*
*Prò dolor, exclamans paſſos laniata capillos,*
*Quæ porrò in tenebris vita futura tua eſt?*
*Ille autem, Quid agis ſtulta? an nocturna voluptas*
*Eſſe tibi prorſus nulla videtur? ait.*

MAGNANIMVS SANCTIS PARET VIR LEGIB. VLTRO.

## Symb. XVIII.





## SPARTANI MAGNITVDO ANIMI.

## Symb. XVIII.

*Damnatus ab Ephoris Lacon*
*Cum duceretur ad necem, & vultu admodum*
*Hilari eſset, ac læto, tum eum*
*Quidam rogauit hoſtis, an contemneret*
*Leges Licurgi? Quin ego*
*Habeo: inquit: illi gratiam vel maximam,*
*Qui pœna ea multauerit*
*Me, quam abſque mutuatione, & fœnore*
*Et abſque verſura graui*
*Poſſem illico diſsoluere. O digniſsimum*
*Sparta virum: vt mihi quidem*
*Quicunque animi magnitudine præditus*
*Tanta fuerit, is per nefas*
*Damnatus eſſe cenſeatur innocens.*

MORS FORTIB. FINIS MALOR. EST OMNIVM.

## Symb. XIX.






DE PHILIPPO, ET LACEDÆMONIB.

## Symb. XIX.

O *Fortitudinem inclytam Lacedæmonum,*
*Qui quum Philippus inſolenter admodum*
*Per litteras minatus eſſet, omnia,*
*Quæcunque conarentur ipſi, ſedulò*
*Se prohibiturum: quæſierunt, nùm mori*
*Se prohibiturus eſſet etiam ſedulò?*

SEBASTIANO SELEVPENERIO GERMANO

DISCIPVLO CARISS.

NIHIL MAGE EXPETENDVM AMORE DIVINO.

Symb. XX.





# PLATONICO CVPIDINI.

## Symb. XX.

*Vulgi profani indocta cohors tuam*
*Nil percipit, diuine Amor inclytam*
*Virtutem, & illam flammulam, vnde*
*Certa hominum, atq; Deûm eſt voluptas.*
*Mens nanque verum capta oculis bonum*
*Dum neſcit vſquam cernere, fallitur,*
*Semperq́; vitans expetenda*
*Inſequitur ſua damna præceps.*
*Aſt cognitum immortale decus tuum*
*Mortalibus ſi eſſet miſeris, uti*
*Dis eſt beatis, qui ſoluti*
*Carcere corporeo, & tenebris.*
*Viuo fruuntur lumine, rectius*
*Exempta ſæuis noſtra doloribus*
*Vita hæc iter, ſecuriuſq́;,*
*Quòd minimè aſſequitur, teneret.*
*Tunc omnium pulcherrima denuò*
*Forma illa rerum, ſecula & aurea*
*Prorſus redirent. denique omnes*
*Ambroſia frueremur alma.*
*O aure votis ſi facili adnuas*
*Olim vocatus, Sancte puer, meis.*
*En vror, vror, toto ab illis*
*Corde tuis facibus peruri.*

## PRINCIPIVM, ET FINEM PRINCEPS HABET AB IOVE SVMMO.

### Symb. XXI.






## CAROLI .V. CAES. AVGVSTI. SAPIENTIA IMMORTALIS.

### Symb. XXI.

*Imperio Auguſtus, pietate auguſtior alma es,*
*Maior enim in te omni eſt imperio pietas.*
*Quin etiam imperio Auguſtum, & te Carole vincis,*
*Qui regis arbitrio fataq́;, teq́; tuo.*
*Quid ſibi vult inſigne biceps Iouis armiger ales?*
*An quia dat duplex Iuppiter imperium?*
*Indè animi humana, hinc Mentis diuina poteſtas,*
*Qua tibi quæ fuerint, ſuntq́; futura, patent.*
*Iuſtitia hinc, animi & robur, prudentia, uisq́;,*
*Quæ docet humano quid ſat in officio eſt.*
*Talibus auſpicijs duceris ad alta beatus*
*Sydera, fructurus nectare & ambroſia.*

## OMNIA SVNT PRÆSTO CVI PRÆSTO EST INCLYTA VIRTVS.

### Symb. XXII.





## EIVSDEM

### IMPERATORIÆ VIRTVTES QVATTVOR.

### Symb. XXII.

*REi militaris plurimis ſcientia,*
*Inuicta pluribus animi præſtantia,*
*Autoritas pleriſque: raris omnium*
*Petita votis contigit felicitas.*
*Quin ſingula hæc præſtare vix paucis licet,*
*Quæ cuncta ſumma Cæſare in vno Carolo*
*Extare iam vident vel ij, qui nil vident.*
*Iamq́; ipſe Momus id fateri cogitur.* (hoc?
*Mirantur autem multi. ego haud quaquã. Quid*
*Nempè omnia adſunt illa abundè quem penes*
*Eſt vera Virtus, maxima vna, & optima.*

AVREA SORS REGVM EST, ET VELLE, ET POSSE BEARE.

## Symb. XXIII.





AD HENRICVM VALESIVM GALLIAR. REGEM.

## Symb. XXIII.

*Auguſtis olim in thalamis fortuna ſolebat*
*Poni ab Romuleis aurea Principibus,*
*Nempè id magnanimos Reges inſigne monebat,*
*Omni ut deberent, & cuperent ſtudio*
*Fortunare homines. nam cæca, volubilis illa eſt*
*Vulgaris, paſſim quæ fauet immeritis.*
*Verum oculata ipſa, & ſtabilis, quæ ſceptra gubernat*
*Regia. cui clauum copia diua tenet.*
*Ergo ſi regum fortuna eſt aurea multos*
*Pro meritis poſſe, & velle beare homines,*
*Hæc Henrice eadem digno tibi Lilia defert*
*Aurea, qui noſtra hæc florida ſecla beas.*

NON VINCI POTIS EST, NEQ. FINGI REGIA VIRTVS.

Symb. XXIIII.





FRANCISCO VALESIO GALLIAR. REGI.

VIRTVS VIRTVTEM FINGERE SOLA POTEST.

Symb. XXIIII.

*Dvm tua fortunæ cedit, Rex inclyte, Virtus:*
*Victricem ſubigit cedere victa ſibi.*
*Quid duce te faciet victrix, ſi victa triumphat?*
*Non hominis Virtus, ſed magis iſta Dei eſt.*
*Ergò diuinus quum ſis, ò Maxime Regum,*
*Quis iam mortalis fingere te potuit?*
*Ipſa tamen potuit talem te fingere Virtus,*
*Qualem animus poſſit cernere, non oculi.*

## SVSPECTA IVRE EST IN SVPERBO COMITAS.

### Symb. XXV.





## ΕΙΣ ΟΓΚΟΝ ΤΟΥ ΑΣΤΕΙΩΣ ΠΛΕΟΝΕΚΤΙΚΟΥ.

### Symb. XXV.

*IDem ſis licet omnibus ſuperbus,*
*Et magna tamen eſſe comitate*
*Interdum cupias mihi videri.*
*Si cur defugiam tuum frequentem*
*Congreſſum rogitas Philippe, dicam.*
*Suſpecta eſt mihi comitas ſuperbi.*

### DE VITANDA SVPERBIA.

*Eſt Vitanda Superbia Sola, vel in benefactis,*
*Et ſi alia in malè factis valeant vitia.*
*Ne captus fortaſſe cupidine laudis inani*
*Amittas prorſus quæ benefacta valent.*

## INTEMPESTA DIES, VT NOX. EST DESIDIOSO.

### Symb. XXVI.





## IN LENTVM INERTEM, ET OTIOSVM TVRPITER.

### Symb. XXVI.

*INtempeſta alijs ſi nox ſine tempore agendi eſt,*
*Tempus enim humanis actibus aſpicitur,*
*Quum tu deſideas ſemper ſine tempore agendi,*
*Intempeſta dies eſt quoq; Lente tibi.*
*Quid mereare ſedens in Choenice quæris? Vt ipſum*
*Perdant te lenta triſtia fata fame.*

PABVLA LÆTA ANIMI HÆC NE SPERNE, BEABERIS VLTRO.

HOC ILLVD BOCCHI NOBILE SYMPOSIVM EST.

## Symb. XXVII.






MENSÆ DOMESTICÆ DECEM HÆC SVNT SYMBOLA.

## Symb. XXVII.

*Corpus ſimplicibus cibis : Deiq;*
*Verbo paſce animum tuum vſq;, & vſq;.*
*Teſtem quicquid agis Deum inuocato.*
*Quod ſat eſt cupiens nihil dolebis.*
*Naturam ſequere omnibus magiſtram.*
*Continentia te beabit vna.*
*Semper quid decet, expeditùe noſce.*
*Vita eſt moribus in bonis beata.*
*Quiſquis ſuſtinet, abſtinetùe Rex eſt.*
*Id tantum cupias quod eſt amandum.*

PRIMA TENET PRIMAS RERVM SAPIENTIA CAVSSAS.

## Symb. XXVIII.






MATERIAM PRIMAM MENS NOTHA SOLA TENET.

## Symb. XXVIII.

*ORta ſalo, vro ſalum, atq; ſolum, cœlumq; profundū*
*Vna ego corrumpens omnia progenero.*
*A me omneis Natura creat res, auctat alitq;,*
*In me res omnis rurſum eadem ſoluit.*
*At licet hac videar, quæ picta eſt, prædita forma,*
*Omni forma prorſum ipſa tamen careo.*
*Sumq; mea, ac propria ratione incognita prima*
*Materia illa ego, quam Mens notha ſola tenet.*

# SIC ARS DEPRENDITVR ARTE.

## Symb. XXIX.






# DEPRENSVS ARTIB. SVIS.

## Symb. XXIX.

*IMpoſtor ille Iulianus, maximè*
*Qui Chriſtianos perſequi decreuerat*
*Artes eos docere vetuit liberis*
*Dignas hominibus, ſcilicet ne præpetes*
*Euellerent de aquila ſua pennas, quibus*
*Configerent etiam aquilam. Qua imagine*
*Vſum ferunt illum eſſe, vbi primum artibus*
*Seſe impetitum fortè deprehendit ſuis.*

## NON MVLTA POSSIDENS, SED IMPERANS SIBI DICENDVS EST DITISSIMVS.

### Symb. XXX.






### Symb. XXX.

*Contentus eſſe qui ſuis rebus poteſt,*
*Aliena nec cupit, vocetur continens.*
*Sic Fabricius exiſtimatus omnium*
*Mortalium eſt iure optimo ditiſſimus,*
*Nec multa poſſidens, ſed imperans ſibi*
*Ipſimet, ipſis imperauit hoſtibus:*
*Quorum quidem oratoribus pecuniæ*
*Vim maximam offerentibus dono, ſimul*
*Rogantibus ne ſperneret, tum protinus*
*Planas ab auribus manus ad lumina,*
*Exinde ad os, & guttur, ac ventrem infimum*
*Deduxit, inquiens. dum ego hiſce ſenſibus*
*Obſiſtere, imperareq́ potero, mihi*
*Nil deerit vnquam. Ergò pecuniam, qua opus*
*Nil mihi eſt, non accipiam ab illis, quibus*
*Eam vſui eſſe neutiquam ſum neſcius.*

# PECVNIA HAVD CORRVMPITVR VIR FORTIS ET FRVGI, NEC ACIE VINCITVR.

## Symb. XXXI.






## Symb. XXXI.

MArcus Curius olim ad focum rapas coquens
Sedebat. auri pondus aſſerentibus
Samnitibus magnum, idq; miſſum publicè,
Verbis benignis, vteretur vt libens,
Rogatus illuſit. tum, abite vos, ait,
Miniſtri inepti ineptioris iſtius
Legationis. dicite Samnitibus,
Mauelle Curium imperare ditibus,
Quàm diuitem effici ipſum. abite inquã, et malo
Hoc munus hominum excogitatum protinus
Referte: memores me, nec acie vincier
Pote eſſe, nec pecunia corrumpier.

# SAT EXTAT IPSA VERITAS VANA ABSIT OSTENTATIO.

## Symb. XXXII.






# NE TE FACERE PVDEAT PARVM RECTE ILLA, QVÆ NON POSSE MELIVS NOVERIS.

## Symb. XXXII.

*Nil Veritatis luce clarius, licet*
*Enim occulatur interim, igneo tamen*
*Fulgore ſemper ipſa proditur ſuo.*
*Non iactitant opimæ apud paſtorem oues,*
*Quantum diebus ſingulis comederint.*
*Teſtantur id re, lacte, lana, fœtibus.*
*Hoc ſtoicus Epictetus olim oſtenderat.*
*At ſtulta vulgi turba ſeculum vocat*
*Felix, quod eruditione plurima eſt.*
*Quin ſeculum id felix nego eſſe. rectius*
*Felix vocatur illud, vbi docti viri*
*Præſtant reapſe quod legunt, quod prædicat,*
*Alijſq; præſcribunt, vbi bonus qui audiant,*
*Et videat exclamare cogatur ſtatim*
*Certè hi loquuntur ita, vt agunt vitam, optimè,*
*Atq; vt loquuntur vitam agunt ſanctiſsimè.*
*Facere parùm rectè quæ ipſe haud melius potes*
*Cur erubeſcis? præſtat erubeſcere*
*Malè facere ea, quæ neutiquam potes benè.*

SCOPVS BONOR. VERITAS EST OMNIVM.

*Candorem amat Syncera ſemper Veritas:*
*Odit latebras: fucum abhorret: quæritat*
*Aditus patentes: libera, alta: neſcia*
*Seruire, non cupit aliena vmbra tegi:*
*Atqui ſuo oblectatur ipſa lumine,*
*Nec vlla cum ſeruili habet commertia,*
*Teterrimoq́ hominum genere: ſed liberis*
*Puriſsimisq́ præſto adeſt tantummodo.*
*Hic deniq́ omnis eſt ſcientiæ ſcopus.*



# LIBER SECVNDVS.

VIRTVS VESTIBVLVM EST HONORIS ALMA.

## Symb. XXXIII.






RAYNVTII FARNESII NEPOT. PAVLI III. PONT. MAX. CARD. S. ANG.

## Symb. XXXIII.

*Aſtat veſtibulo templi Tirynthius heros,*
*Poſterior ſignum cællula Honoris habet.*
*Dis vna fieri, niſi certis ſacra duobus,*
*Conſule Marcello, Relligio vetuit.*
*Nam ſua debetur ſeiunctim gratia cuiq;,*
*Si qua fortè aliquid prodigij acciderit.*
*Prodigium eſt quando alterutrum cõtingit abeſſe,*
*Abdita cauſſa latet, cognita quæ ſuperis.*
*Indè timore homines perculſi, numina diuum*
*Implorant ipſo in tempore ſuppliciter.*
*At natura parens almæ Virtutis honorem*
*Conſtituit proprium, ac perpetuum comitem.*
*Ad ſummam verum decus ex virtute parari,*
*Hocce monet vitæ nobile propoſitum.*
*Quod ſibi prudenter ſtatuit Raynutius Heros*
*Altera ſpes animi, & gloria Paule tui.*

NVNQVAM BEARI POSSE AVARVM DIVITEM.

## Symb. XXXIIII.






SENTENTIA EX ORACVLO CHRISTI DEI DE DIVITE.

## Symb. XXXIIII.

*Ante foramen acus penetrabit nauticus arctum*
*Funis, quo proras anchora iacta tenet,*
*Quàm valeat locuples, vllo vnquam tempore auarus*
*Scandere ſyderei regna beata poli*
*Ingenium fortuna bonum labefactat opima,*
*Et mala Luxus iners omnia progenerat.*

ILLE DEI FACILE EST QVISQVIS SAPIENTIÆ AMATOR.

DVRA PATI DIDICIT PLVRIMA QVISQVIS AMAT.

## Symb. XXXV.






DE CYNICO DIOGENE, ET ANTISTHENE.

## Symb. XXXV.

*Qvis ſapientiæ amator ſit fortaſſe requiris,*
*Dicam equidē, et Pythio vera magis tripode.*
*Si Deus omnipotens vera eſt ſapientia, verus*
*Huius amator erit qui Dei amator erit.*
*Verus amator erit, nullo qui tempore amare*
*Deſinet. at ſi opus eſt omnia dura feret*
*Olim Antiſthenico Cynicus clariſſimus ille*
*Terreri haud quaquam ſi potuit baculo,*
*Poſſet vt humanas res diſcere: Quid faciet qui*
*Diuinas omni perſequitur ſtudio?*

ARS DOCTA NATVRAM ÆMVLATVR
VT POTEST
QVIN VINCIT: VSVS DVM ADSIT
ET DVRVS LABOR.

Symb. XXXVI.






QVIS AGERE MENSVRAM VLLIVS REI POTEST
SI NESCIT IPSE MET SVI?

Symb. XXXVI.

*Lvcidulis quænam hæc oculis tam viuida virgo?*
*Ars eſt. Quis dedit id nominis huic? Ἀρέθ.*
*Nil magis ingenij vires, quàm conſcia virtus*
*Excitat. Effingit cur hominem potius?*
*Ipſum vnum vt fingens ſimul omnia fingere poſsit.*
*Porrò quid duplex circinus ille refert?*
*Altera ſtans centrum pars, altera perficit orbem*
*Indagat verum hæc. inuenit illa Bonum.*
*Hinc intus ſapit. inde foris ſpeculatur vtrinq;*
*Finem animo aduertit callida. docta notat.*
*Sed quid βρέγμα bouis, quid agreſtia fixa tropæo*
*Arma volunt? labor eſt acer, & aſsiduus.*
*Dædala Naturam pro viribus Ars imitatur,*
*Et vincit, dum vſus præſit, & ipſe labor.*

# MVLIEBRIS INCONSTANTIA.

## Symb. XXXVII.





# VERSA EX HOMERO NOBILIS SENTENTIA.

## Symb. XXXVII.

*Sat noſti qualis muliebri in pectore mens eſt,*
*Quæ cuicunq; viro poſt nupſerit, illius omni*
*Vult ſtudio ditare domum, prorſusq; iuuare*
*Non animo nati ſua pignora cara priores,*
*Non coniux dulci defunctus munere vitæ*
*Verſantur, ſed cura noui ſubit vna mariti.*

FORMICÆ ARATRA NON SIBI FERVNT BOVES.

Symb. XXXVIII.





IN EOS QVI ALIENIS LABORIB. PERFRVVNTVR.

Symb. XXXVIII.

*ARantis olim fortè per cornu bouis*
*Formica viſa errare, Arare ſe dixit.*
*Sic vos aratra fertis haud vobis, boues.*

*Aliter.*

*Per cornu formica bouis dum fortè vagatur,*
*Quidnam ageret quidam quærit, aramus, ait.*

# QVAERENS NIMIS SVBTILITER ARCANA NIL PRORSVS SAPIT.

## Symb. XXXIX.





## CHRISTIANÆ RELIGIONIS SYMBOLVM.

INTERLOCVTORES CHRISTOPHORVS. HOSPES. RELIGIO.

## Symb. XXXIX.

CHR. *Miraris quòd Atlas vaga fulſerit aſtra? ſed ipſe*
*Orbis herum, atq; orbem nuper in orbe tuli.*
HO. *Dum mundi autorem, mundū geſtaret & ipſum,*
*Quæſo vbi tū fuerat, dic mihi, Chriſtophorus?*
RE. *Deſine mirari, ſummiq; arcana Tonantis*
*Quærere. Nāq; iſtuc deſipere, haud ſapere eſt.*

CÆCVS QVI PVLCHRI NON CERNIT LVMINA. SOLIS.

## Symb. XL.






AD ANDREAM ALCIATVM AMICORVM OPT.

LVCE CARET, PVLCHRI QVI CAVSSAM NESCIT AMORIS.

## Symb. XL.

*Qva ratione homines rerum caperentur amore*
*Pulchrarum quondam magnus Ariſtoteles*
*Fortè rogatus, ea eſt cæcorum quæſtio dixit,*
*Et benè, nanq; oculi ſunt in amore duces.*
*Ergo tuæ cur tam capiar Virtutis amore*
*Qui quæret poſthac, hic mihi cæcus erit.*

# VIRTVTIS HAVD VNA, ATQ. OPVM AESTIMATIO EST.

## Symb. XLI.





# HOC EX PLATONE SYMBOLVM.

## Symb. XLI.

*Diuitiæ, & virtus veluti duo pondera habentur*
*In trutina, quorum vnum eſt alio grauius.*
*Diuitias etenim quum pendit opinio pluris,*
*Virtutem inſipiens, eleuat illa magis.*
*At ſapiens ratio virtutem quò magis almam,*
*Tantò diuitias æſtimat ipſa minus.*

# VIRTVTIS VMBRA GLORIA.

Symb. XLII.





OCTAVIO FARNESIO
DVCI OPT. ET CLARISS.

Symb. XLII.

*Excellens virtus reſonat tua, ſicut imago*
*Clara, bonis ideo nec fugienda viris.*
*Ecce tropæa gerit poſt ſe, optatamq; coronam,*
*Aurea diuinæ munera iuſtitiæ.*
*Gloria Virtutis comes eſt, vt corporis vmbra,*
*Et ſolida. at quæ præcurret inanis erit*
*Morio ſignificat ſtolidum, atq; ignobile vulgus.*
*Qui temerè anteuenit Pallada, ſtultus hic eſt.*
*Pinnarumq; ſcapo malè ſanos euocat omnes,*
*Crura agitans reſonis tintinat orbiculis.*
*Nempè auram ſtrepitu popularem captat inani.*
*Gloria, Virtutem quæ ſequitur, ſolida eſt.*
*PAVLVS in humanis ageret dum Tertius ille,*
*Mandata hæc dederat commemoranda tibi.*
*Quæ quoniam impleſti ſummis pro viribus ipſe,*
*Iure hæc debetur Gloria ſumma tibi.*

## HIC HERCVLES EST GALLICVS: INTELLEGAT, QVI AVRES HABET.

### Symb. XLIII.





## CVRA ET LABORE PERFICI ELOQVENTIAM.

### Symb. XLIII.

*Diſcere quiſquis auet bene dicere, diſcat oportet*
*Ille prius. ſtudium id, cura, laborq́; facit.*
*Si ſtudium affuerit ſummum, et quidã ardor amoris,*
*Tum nihil obfuerint cura, laborq́; tibi.*
*Qui Gallum Alcidem ſemel aurib. hauſerit vltrò,*
*Ille diſertus erit non modò, ſed ſapiens.*

## SIC ANIMÆ DVCTRIX, OBLECTATRIXQ. SVADÆ. A LVCIANO FINGITVR.

*Qvis capite inculto, glabro, canoq́; Senex hic,*
*Qui cute rugata languidus, & vietus,*
*Torridus, & qualis extrema ſæpe ſenecta*
*Artifices vſtos cernimus eſſe maris?*
*Gallicus Alcides eſt Ogmios, omnia quanuis*
*Hunc fore quàm Alcidem tu mage credideris.*
*Monſtrifica vſq; adeo eſt ſpecies, & ab Hercule ab-*
*Illo qui graijs pingitur in tabulis.* *(horrens.*
*Cumq́; huiuſcemodi is ſit, habet nihilominus omnem*
*Cultum, & geſtamen verius Herculeum.*
*Fertq́; Leonino (vt iam dudum) tergore amictus*

*Clauam dextra, arcum læua, humero pharetram.*
*Inſidet excelſo curru, ingentemq́; triumphans*
*Turbam hominum vinctos auribus inde trahit.*
*Sunt tenues auro, atque Electro vincla chatenæ,*
*Quas pertuſa tenet lingua regitq́; Dei.*
*Temoni inſtantes firmant veſtigia tauri,*
*Flammata geminus quos face pellit Amor.*
*Dic age Calliope quid imago hæc vult ſibi? nempe eſt*
*Qui vetus Alcides Iunior is fuerat.*
*Olim Mercurius: nimirum dia facultas*
*Dicendi tardo præualet in ſenio.*
*Mens volucris iuuenum, inſtabiliſq́; vocata poetis:*
*Et meritò. at ſemper firma, grauiſq́; ſenum.*
*Propterea vates Smyrnæus mel ſenis olim*
*Fluxiſſe è dulci Neſtoris ore canit.*
*Florida Troianorum oratio creditur eſſe.*
*Ad linguam vinctos auribus ille trahit?*
*Ne hoc eſt cur mirere quidem. cognatio linguæ,*
*Aurium & ipſarum cognita ſi tibi ſit.*
*Auro diuina, aſt Electro humana notatur*
*Cognitio, maius qua nihil aut melius.*

# VT IVSTVS EFFICI QVEAS.

## Symb. XLIIII.






NVLLI NOCEBIS: COMMODABIS OMNIBVS.

## Symb. XLIIII.

*Si iuſtus eſse vis, Deum time, atq; ama.*
*Amabis autem, ſi illum in hoc imitaberis,*
*Nulli vt velis nocere, prodeſſe omnibus.*
*Sic viue ſemper, deniq; ita beaberis.*
*Verum optimi eſt, & maximi hoc* REGNVM DEI.

MANSVETVDINIS VIS
EX ISIDORO.

*Magna animi Virtus, nunquàm ſi læſeris, à quo*
*Læſus es. At maior, ſi læſus ſponte remittas:*
*Maxima, ſi parcas, cui poſsis ipſe nocere.*

# NON EXTRA, AT INTVS AVDIO.

## Symb. XLV.





# CERTVM EST IVDICIVM RATIONIS OBEDIANT HVIC SVBDITA.

## Symb. XLV.

*Senſibus humanis vt ſit dulciſsima, ſeptem*
*Quæ calamis iuncta eſt fiſtula diſparibus,*
*Ac ſeptemgeminum exterius demulceat orbem,*
*Terraſq;, & vaſtum temperet oceanum,*
*Attamen hac triplici, quæ prima, & maxima virtus,*
*Interna nihil eſt dulcius harmonia:*
*Optima vox* ὑπάτη, *atq; grauiſsima, quæ omnipotentis*
*Naturæ lex eſt prima: ſecunda* μέση.
*Harmonia hinc cordis ſummæ propior rationi,*
*Cui poſtrema ſubeſt, obſequiturq;* νήτη.

**ΟΥΔΕΙΣ ΕΡΑΣΤΗΣ, ΟΣΤΙΣ ΟΥΚ ΑΕΙ ΦΙΛΕΙ.**

NON EST AMICVS HIC, QVI AMARE DESINIT.

## Symb. XLVI.





# BIANTIS HAEC SENTENTIA A SCIPIONE EXPLODITVR.

## Symb. XLVI.

*Neſcio cuius id eſt verbum ſapientis iniquum,*
*Tanquàm oſurus ama. Quin ego amare velim*
*Vt nunquã oſurus. Nam quæ vera, aut bona tandem*
*In vita reliqua eſt, dic mihi, amicitia?*
*Si quiſq; olim ita amicum amet, ut fieri ipſum inimicũ*
*Poſſe putet? Virtusne iſta rogo, an uitium eſt?*
*Quin ego non tanquàm: ſed nunquam, oſurus amabo.*
*Vera ſibi conſtat ſemper amicitia.*

# MALE PARTA MALE DILABIER.

## Symb. XLVII.





# DE AVARO, ET EIVS EXITV.

## Symb. XLVII.

*Vim magnam loculis ſuis auarus*
*Flauæ condidit impius monetæ,*
*Cuidam munifico, & pio inuolatam*
*Per ſummum ſcelus, & dolum nefandum.*
*Quam ipſam reptilis illi perduellis*
*Mox tanquàm ſibi debitam repoſcens,*
*Iniecto laqueo tenaci, auarum*
*Raptat cum loculis ſuis, necatq;.*
*Perduntur bene parta ſæpe. ſemper*
*Perduntur malè parta, & author ipſe.*

## RESVRGIT EX VIRTVTE VERA GLORIA.

### Symb. XLVIII.






## DIGNVM MAGNANIMO VIRO SEPVLCHRVM.

### Symb. XLVIII.

IN FRONTE PYRAMIDIS. A.

*Neſcia fortunæ virtus ceſsiſse, ſubactis*
*Senſibus, excelſo vertice ſumma petit.*

IN QVADRATO INFERIORE. B.

*Heroi merito ſedes quadrata dicatur,*
*Rectus enim ſemper conſtitit ille ſibi.*

D. O. M.

VGONI PEPVLO, QVI OB PRÆCLARA MERITA
*Nuper à Franciſco Valeſio Rege Gall.*
*In ord. equeſtr. D. Michaelis,*

GRATIA DIGNATIONIS ALLECT.

*Simul Equit. Præf. Lautrechio Duci adſcrip.*
*In Bello Neapolitano ſubita vi morbi oppreſſ.*

INTERIIT ANN. AGENS. XLIII.

PHILIPPVS PEPVLVS *Fratri concordiſſ.* P.

M. D. XLIII.

DISCE PATI QVISQVIS VINCERE SEMPER AVES.

Symb. XLIX.





VICTRICIS PATIENTIAE MEMENTO
VRSINAE CRASSAE
VOLTEIAE BONON.
MATRONAE CLARISS.

Symb. XLIX.

*ANtidotum uitæ Patientia, qua ſine poſsis*
*Nil vnquàm incipere, aut perficere eximium.*
*Hoc mihi dulce iugũ eſt. iuuat huic mea ſubdere colla,*
*Aurea quod cœlo miſsa catena regit.*
*Omnia dura libens didici tolerare, bouiſq;*
*βρέγμα id ſignificat, pennicoma & galea.*

# EX DISPVTATIONE VERITAS PATET, CONTENTIONE EVERTITVR.

## Symb. L.





# IN DISPVTANTES SYMBOLVM.

## Symb. L.

*De ſilicis venis excuſſa vt ſemina flammæ*
*Excipit arenti fomite materia :*
*Inde ſuam accendunt pro ſe ſibi quiſq; lucernam*
*Extemplò, & cæcas diſcutiunt tenebras.*
*Sic diſceptando ſtudioſi in luminis oras*
*Verum ipſum è latebris excutiunt facilè.*
*Contrà altercando nimis id plerunq; ſophiſtæ*
*Funditus euertunt inſidioſa cohors.*

ALIVD.

IN DISPVTANDO TVRPIS EST RIXOSA CONCERTATIO.

*Fieri quidem nullo modo poteſt, vt non*
*Dicas quid in ſententia eius, à quo ipſe*
*Diſſentias, minus probes. Qui enim poſſet*
*Extare verum, ſi probare quis vellet*
*Quæcunq; contra dicerentur? At non ſunt*
*Vituperandæ diſſerentium inter ſe*
*Reprehenſiones. Omnia maledicta, omnis*
*Iniuria, iracundia, omnis inſana*
*Contentio, certatioq; rixoſa*
*In diſputando, & pertinax, nihil dignæ*
*Sapientiæ ſtudijs videntur omninò.*
*Nil ergo ſit prius modeſtia vobis*
*Qui profici vultis, prius aliud nil eſt.*

## FORTVNA FORTI SVBLEVANDA INDVSTRIA.

### Symb. LI.





## SORS PALLADI SALVTIS HABET GRATIAM.

### Symb. LI.

*NAufraga vi ſuperum pelago fortuna profundo*
*Iactata emergit fluctibus è medijs,*
*Ad littusq; appulſa, fidem Latoidos almæ*
*Implorat ſupplex, nec mora diua fauet.*
*Subleuat afflictam dextra, cœlumq; tuendo*
*Sperandum à ſuperis iam meliora iubet.*

# DI SVPERI PRESTO FACIENTIBVS OMNIB. ADSVNT.

## Symb. LII.






# DE AGASONE, ET DIVO HERCVLE.

### CVRANS NIHIL, PRORSVM EST NIHIL.

## Symb. LII.

*Tenaci aſellus quiſpiam infixus luto,*
*Hærebat, huic ſuccurrere*
*Agaſo cum deberet, Herculis fidem*
*Implorat ocioſus, &*
*Aſello inertior ſuo. Tirynthius*
*Reſpondit, ipſe Vt interim*
*Manum laboranti admoueret, atq; ita*
*Deum adſuturum ſedulò.*
*Fac ergò, quiſquis es; aliquid tute interim.*
*Deinde inuocato numina.*
*At optimates Rhintonis exaudiant*
*Prouerbium id notiſſimum*
ΟΙ ΜΕΝ ΓΑΡΟΥΔΕΝ ΕΙΣΙΝ, ΟΙΣ ΟΥΔΕΝ ΜΕΛΕΙ
ET TVRPE VITENT OCIVM.

# IMAGO IVSTI IVDICIS. DE MAGNO ALEXANDRO, ET REO.

## Symb. LIII.



A



# PARTEM AVDIAS PRIVS ALIAM, DEIN IVDICA.

## Symb. LIII.

*Olim Pelleus iuuenis cum fortè ſederet*
*Iudex, & actori alteram*
*Interea digito prudens occluderet aurem,*
*Interrogatus à ſuis,*
*Curnam ſic faceret? ſatis actori eſt, ait, vna,*
*Seruo alteram integram reo.*

# QVAE SVNT SVPRA NOS PERTINERE AD NOS NIHIL.

## Symb. LIIII.






# QVI SCIRE SCIT SE NIL, SAPIT.

## Symb. LIIII.

*Pierides, nam ſunt cordi hæc myſteria vobis,*
*Dicite, Cecropio ille ſenex nutritus Hymetto*
*Cur vigilem medico mandauit ritè litandam*
*Phœbigenæ volucrem, diæ quæ nuncia lucis*
*Suſcitat ex alto mortalia corda ſopore?*
*An quia diuinæ bonitati accepta referre*
*Conſilia, & noſtræ debemus lumina vitæ?*
*Ipſa patris ſummi vnigena eſt Sapientia, certa*
*Curatrixq; morborum animi mortalib. ægris.*
*Perſica auis* MENS. *hæc* MEDICO *niſi vota ſupremo*
*Reddatur, quis iam poterit modus eſſe laborum?*
*Deniq; nil ſapere vlterius, quã opus eſt, ſapere vnũ eſt.*

# FORTIS, MODESTVS, ET POTENS.

## Symb. LV.





# HESPERIDVM ALCIDES VICTOR FERT AVREA MALA.

## Symb. LV.

*Quæ ſtatua inſignis claua, nemeiq́ leonis*
*Exuuijs, leua quæ tria mala tenet?*
*Magnanimi Alcidæ vera, & ſapientis imago eſt*
*Aurea qui victo poma dracone tulit.*
*Nempè draco in nobis nihil eſt, niſi dira cupido.*
*Extincta hac triplex illicet extat honos.*
*Comprimitur furor iræ, & habendi ſacra libido*
*Interit, & ventris deſidioſus amor.*
*Fortem animum exuuiæ ſignant, claua illa potentem,*
*Qui domitis victor ſenſibus imperitat.*

NON INVIDET, QVI IVRE CONFIDIT SIBI.

ALEXANDER ZAMBECCHARIVS.

Symb. LVI.






## DE SCIPIONE, ET MARTIO.

Symb. LVI.

EA *fuiſti Scipio modeſtia,*
*Vt Lucium olim Martium*
*Magnum imperatorem, licet tu maximus*
*Fores, honorandum tua*
*Laudatione ampliſsima putaueris.*
*Quippè optimo exemplo, nihil*
*Alius inuidere gloriæ, ſuis*
*Qui fideret virtutibus.*

ALITER.

QVO MAGE QVISQ. SVÆ VIRTVTI FIDIT, HONORES
HOC ALIIS MERITOS INVIDET ILLE MINVS.

## TENERE MEDIVM SEMPER EST PRVDENTIÆ.

### Symb. LVII.






## RERVM MENSVRA EST OPTIMA.

### Symb. LVII.

*Qvalis diſtento numerat veſtigia ſune*
*Contemptor magnæ ſchœnobates animæ,*
*Qui pede mortali ſupera ad conuexa leuatus,*
*Ignotas homini gaudet inire vias,*
*Atq; ſui compos partes ſpeculatur in omnes,*
*Dum forti alterem librat vtrunq; manu,*
*Talis ſuſcipiens humanæ munera vitæ,*
*Se gerit excelſo vir ſapiens animo.*
*Nil timet, aut temnit: ſe hinc ſuſtinet, abſtinet illinc,*
*Vt rectus ſemper conſtet vbiq; ſibi.*
*Tum demum tota lætatur mente, quod illud*
*Conceſſum paucis iam teneat medium.*

# IN SORDIDOS, NVMARIOSQ. IVDICES.

## Symb. LVIII.





# CAMBYSIS EXEMPLVM INCLYTVM.

## Symb. LVIII.

*Seueritatis nobile exemplum, licet*
*Inuſitatum, olim cruentus edidit*
*Rex ille Cambyſes, mali qui iudicis*
*Cuiuſpiam ſummos per artus diripi*
*Pellem, atq; ſellæ intendi, & eius poſtea*
*Ibi iudicaturum imperauit filium*
*Conſidere. Vtinam cæteri hac quidem*
*Pœna, & noua, tamen ſalutari admodum*
*Numarij omnes plecterentur Iudices.*

EN VIVA E SPECVLO FACIES SPLENDENTE REFERTVR,
HINC SAPIES, POTERISQ. OMNIA, DVM IPSE VELIS.

Symb. LIX.



ΣΩΚΡΑΤΗΣ



IPSVM TE NOSCENS DVBIO PROCVL OMNIA NOSCES.

Symb. LIX.

*Iudicium formæ ſpeculum, pulchriq́; Decoris*
*Conſule, Socratici dogmatis vſq; memor.*
*Te primum hinc noſce, vt redimas virtutibus ipſum*
*Quod tibi deformi corpore defuerit.*
*Sin formoſus eris, conatu dedecus omni*
*Effugias. quid enim turpius eſſe poteſt?*
*Porrò ſi iuuenis. florem illum temporis almum*
*Diſcendi, audendi & fortia facta putes.*
*Canis fœda ſenex euitet, deq; ſuprema*
*Cogitet interea funeris hora aliquid.*

AD FILIVM.

*Me non poſſe doles, doleo te nolle iuuare,*
*Iure magis noſtrum quis rogo, Nate, dolet?*
*Culpa tua eſt: ſiquidem tua iam corrupta voluntas*
*Fallitur heu prauis ſenſibus implicita.*
*Quid faciam? dices. illa eſt ſuprema voluntas*
*Imploranda tibi, te intus vt inſpicias.*
*Tum verò æternæ flagrans pietatis amore,*
*Ne dubita: poteris mox ſimul atq; voles.*

MARCELLO CERVINO CARD. S. CR. AMPLISS.

## CONCIPIVNT IGNES SPECVLARIA CONCAVA SOLIS.

### Symb. LX.





## MENS PVRA QVÆ DEVM COLIT, AMAT, ET STATIM. DIVINI AMORIS IGNE ADVRIT CÆTEROS.

### Symb. LX.

*Igniferi ardentes Phœbi ſpecularia flammas,*
*Concaua ſi fuerint, puraq́;, concipiunt.*
*Hinc facili oppoſitus fomes comprehenditur igne.*
*Sic qui mente Deum ſimpliciore capit.*
*Ipſi arcana libens ſidi penetralia cordis*
*Dedicat, atq; igni carpitur ætherio.*
*Vnde alij igneſcunt diuino prorſus amore,*
*Mox læti ſuperum regna beata tenent.*

ALIVD INCERTI AVT.

*Igniferum ad ſolem, ſpeculi caua corpora flammas*
*Concipiunt: puro qua redit orbe iubar.*
*Hinc facile iniecta tæda, comprenditur ignis:*
*Atq; vna in multos diditur è facula.*
*Sic qui mente Deum pura capit, ilicet intus*
*Corde micans, flammas concipit æthereas.*
*Vnde alij, atq; alij diuino prorſus amore*
*Succenſi igneſcant, templaq́; ſumma petant.*

R

## RENATAE FERRARIÆ, AC CARNVTI PRINCIPI ILLVSTISS. GALL. REG. LVDO. XII. F. VNAM VIDENDAM VERITATEM IN OMNIB.

### Symb. LXI.





## OPINIONIBVS SOPITIS FIRMITER TENENDA CAPTA VERITAS.

### Symb. LXI.

### PROTEVS.

*Qva tu pingeris Proteu mirande figura,*
*Omnigenam in ſpeciem ſi transformaris, & idem*
*Sis licet, haud idem tamen es potis ipſe videri?*
*Non ſaxũ, nõ vnda liquens, nõ flãma coruſcans,*
*Non frondoſa arbor, variarumùe illa ferarum*
*Ora placent. ſed qualis eras quum vincla tetendit*
*Paſtor Ariſtæus, iam nunc mihi talis adeſto.*
*Ne quæſita neges dubijs oracula rebus.*
*Quidnàm aliud Proteus, quàm Veri ipſius imago eſt*
*Omnia vertentis ſeſe in miracula rerum?*
*Illa eadem diuina hominis forma interioris,*
*Quam variæ illudunt facies, & Opinio fallax.*
*Heic ſpecus errorum ille ingens, vbi cæca libido*
*Diſtrahit inſanos ſtudia in contraria ſenſus.*
*Quare adhibenda animi ſumma eſt contentio, Verũ*
*Gnauiter adprenſum vt teneas ratione ſagaci,*
*Quum primũ fuerit per ſomnum oblata facultas*
*Quumq; cupidineæ ſternent ſe in littore phocæ,*
*Et defeſſa ſenex componet membra quieti,*
*Syncerae inijcias fidei tum vincula capto:*
*Donec nulla fugam inueniat Pellacia, & ipſa*
*In ſe hominis tandem redeat veriſſima forma.*

# ANTONIO BERNARDO MIRANDVL. PHILOSOPHO CLARISS.

## DIALECTICÆ PRÆSTANTIA, ET DIVISIO.

## Symb. LXII.



ΘΡΙΓΚΟΣ ΤΩΝ ΜΑΘΗΜΑΘΩΝ
Η ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΗ



*Dic rogo, quænam es tu? Dialectica nuncupor, illa*
*Quam Plato ſummū apicē diſcēdi nominat. Ecquid*
*Inſtrumenta manu præfers? His ſigna, notasq;*
*Edoceo veri, & falſi, atq; probabilis. At quid*
*Conandum cenſes ſtudioſis omnibus: ede.*
*Sic citò te capiant animi, teneantq; fideles.*
*Verborum vim, naturam, genera omnia primùm*
*Simplicium, & coniunctorum cognoſcere debent.*
*Dein quot quicq; modis dicatur. Qua ratione*
*Sit verum, an falſum ſtatuatur, præterea quid*
*E quoq; efficiatur, conſequentia cuiq;*
*Et contraria quæ ſint, quoq; modo ambiguorum*
*Quicq; opus eſt dictorum diuidi, & explanari.*
*Et quia Mens ſæpe oſtendenda eſt abdita noſtra,*
*Inq; voluta rei vis euoluenda, neceſſe eſt*
*Definire quid id ſit, quo de agitur, breuiter: tum*
*Explicito genere vnius cuiuſq; videndum*
*Quæ eius ſint generis formæ, aut partes, vt in illas*
*Omnis diſtribui compoſta Oratio poſſit.*
*Aſt vbi res poſcit, ſapiens partitur, & omne*
*Diuidit in ſpecies certas genus: atq; ita planè*
*Nulla vt prætereatur earum, nèue redundet.*
*Quandoquidem tāti eſt vir quiſquis diuidit aptè, vt*
*Si talis quondam potuiſſet forte videri*
*Socraticis oculis, omni facilè ille fuiſſet*
*Obſequio, & cultu venerandus numinis inſtar.*

## Symb. LXII.

DE EADEM.

*ARtib. hæc affert lumen diuina facultas:*
*Nil perturbatum, nil dubium patitur.*
*Ipſa vbicunq; pedem ponit: ſe non ſinit vſquam*
*Vincier. impauido pectore bella gerit.*

FINIS SECVNDI LIBRI.



# LIBER TERTIVS.

## SIGILLVM AHENEVM BONONIÆ INVENTVM. ANNO SALVTIS OMNIVM. M. D. XLVIII.

### Symb. LXIII.






## FORTVNA ALEXANDRI INCLYTA FARNESII MINORIS, ATQ. MAXIMI.

### Symb. LXIII.

*Qvæ Dea? ſeruatrix Fortuna eſt, optima ſummi*
*Nata patris, qua nil certius orbis habet.*
*Aſtrifer impoſitus capiti polus ille ſupremo,*
*Hoc eſt diuini numinis auſpicium.*
*Collecti in nodum cur ſtant ceruice capilli?*
*Nempè ſuo capit hanc qui ſapit arbitrio.*
*Tum modus, atq; pudor luxum moderantur inertem,*
*Hinc tetricæ filo eſt virginis & ſpecie.*
*Aſpectu vehemens, & formidabilis acri,*
*Non humilis, neq; atrox, ſed reuerenda magis,*
*Læta bonis, truculenta malis, erecta, ſeuera,*
*Caſta, grauis, verax, ardua, magna, potens.*
*Omnia perluſtrans oculis mortalia, clauo*
*Inſiſtens terris imperat, & pelago.*
*Nanq; duces bello regit, alma in pace ſenatum.*
*Hæc adſit, nullum numen abeſſe poteſt.*
*Regnorum hæc columen, ſancti prudentia iuris,*
*Hæc auguſta dice, hæc Eunomia, hæc Nemeſis.*
*Diues opum hæc ipſa eſt variarum copia: felix*
*En cornu præfert interiore manu.*
*Otia blanda animis poſt dura negotia vitæ,*
*Aeternaq́; pios morte carere facit.*
*Deniq; magnanimi Herois ter maxima ſurgit*
*Farneſi hic virtus, gloria, Iuſtitia.*

# SILENTIO DEVM COLE.

## Symb. LXIIII.






# SAEPE LOQVI NOCVIT, NVNQVAM NOCVIT TACVISSE.

## Symb. LXIIII.

*Menti, Virtuti, & Fidei delubra dicamus:*
*Eſſe ſita in nobis cernimus illa tamen.*
*Cur capitolina Tritonia Pallas in arce*
*Sedem habuit? caput hæc urbis, & orbis erat.*
*Mens decus eſt hominis, diuinæ mentis imago,*
*Non ullis unquàm ſenſibus expoſita.*
*Noſcere qui cupit hanc ipſum ſe noſcat oportet*
*In primis, Pharium, & conſulat Harpocratem.*

REVOCANDA MENS A SENSIBVS, DIVINA CVI MENS OBTIGIT.

*Reuocare mentem qui poteſt à ſenſibus,*
*Et cogitationem ab aſſuetudine*
*Abducere, facilè ille præſtat omnibus:*
*Nam mente uiuit, atq; uiuit ut Deus,*
*Qui corpore ac ſenſibus, brutum ut pecus.*
*Hermetis hanc ſententiam ter maximi*
*Qui cordi habebit, eſſe non poteſt miſer.*

## Inanis est infrvctvosa gloria.

### Symb. LXV.






## Palladis hoc peplvm est, inspice proficies.

### Symb. LXV.

*Hoc ſibimet peplum fecit tritonia virgo.*
*Semper enim virtus ſufficit ipſa ſibi.*
*Lis vetus actææ nota eſt de nomine terræ,*
*Bis ſex auguſta di grauitate ſedent.*
*Cælicolum medius Rex, aſſidet armiger ales,*
*Stat Deus immenſi cæruleus pelagi.*
*Interea longo ferit aſpera ſaxa tridente*
*Exilit & vindex impiger vrbis equus.*
*Tellurem ipſa ſua tritonia percutit haſta.*
*Canentis fœtus prodijt hinc oleæ.*
*Sed meritam Ioue nata tulit ſapientia palmam.*
*Vnde eſt pax alma, & gloria frugiferens.*
*Contra equus exercens horrentia bella ſuperbit.*
*Aſt omnis vana eſt gloria fruge carens.*

## BELLVA FIT CAECAE STATVIT QVI CREDERE SORTI.

### Symb. LXVI.






## QVAM STVLTA SIT SVPERBIA.

### Symb. LXVII.

*Cæca vni Fortuna ſibi quos credere adegit,* *(ces*
*Magna ex parte auidos decoris magis, atq; capa*
*Efficit. hinc olim iuſſit ſe, non modò paſſus*
*Dicier Aemathius iuuenis magno Ioue natum.*
*Dumq; cupit tali geſtorum extendere famam*
*Nomine: corrumpit potius. ſic protinus ipſi*
*Fortunæ totum qui ſe permiſerit vltro,*
*Vero hominis regno ſpoliat ſe prorſus, & ingens*
*Bellua fit capitum multorum, luminis expers.*

## QVODNAM SIT VERI PRINCIPIS OFFICIVM.

### Symb. LXVII.






## HAEC RHAMNVSIA DIVA PRINCIPALIS

### Symb. LXVII.

*Qvicunque vero Principis*
*Vis dignus eſſe nomine,*
*Nil conferas magis tuis,*
*Quàm quod alienis commodis.*
*Rhamnuſia hoc iubet Dea*
*Seuera, vindexq́; aſpera*
*Titanicæ ſuperbiæ, &*
*Malignitatis, ſordidæ.*
*Ergo crumenam dextera*
*Plenam ſedenti porrigit,*
*Frenum inſuper, calcaria,*
*Normamq́; temperantiæ,*
*Ne fortè vitans incidas*
*Stultè in vitia contraria.*

# PVLVISCVLI SCRIPTORII ET HOROLOGII COMMODA.

## Symb. LXVIII.






# SEMPER VIDENDVM QVID SAT EST IN OMNIB.

## Symb. LXVIII.

*Pvlueris exigui iactu pro tempore prudens*
*Vtere, nulla oberit fœda litura tibi.*
*Temporis exigui modicum ſi cautus agendis*
*Addideris ſpatium, turpe nihil facies.*

# STVLTVS MALO ACCEPTO SAPIT.

## Symb. LXIX.






# TEREBRA GALLICA VTILIS.

## Symb. LXIX.

*Vtilis vt baculo, & loris eſt Galla terebra,*
*Sic ſtultus vinclis, verberibusq́; ſapit.*
*Mortales plerunq; ſuo didiciſſe periclo*
*Expedit. aduerſis Relligio colitur.*

# RATIONIS, ET LIBIDINIS CERTAMINA.

## Symb. LXX.






## Symb. LXX.

*Armata vecors ſpe malè credula*
*Hè heu libido ſæpè mea : inſuper*
*Opinionum turba fallax*
*Impete cum ratione vaſto*
*Bellantur . at pulchro illa ſuo hæſitat*
*Vero inuoluta . heic fortè aliquando ſi*
*Victoria erret, nec reſiſtens*
*Intrepido generoſa primam*
*Impreſſionem ſuſtineat gradu,*
*Plerunq; talem res habet exitum,*
*Vt prælio decedat ipſa*
*Pars melior, ſibimetq; tutum*
*Quærat ſalutis præſidium fuga.*
*Sic prorſus inſanum arbitrium impotens*
*Securius iam me triumphat,*
*Tum ſua in exaturanda vota*
*Seſe vrget inſtans, conſcia mens tamen,*
*Et molle pectus, mox ſimul arguunt,*
*Quàm peius id ſit crebrò habere,*
*Quod genio libeat proteruo.*

# OCCASIONEM QVI SAPIS NE AMISERIS.

## Symb. LXXI.






# IOANNI IVNIO ANTVERPIENSI IVRISCONS. ELOQVENTISS.

## Symb. LXXI.

*Iam tibi dum rebus ſe occaſio amica gerendis*
*Opportunè offert fronte comata, tene.*
*Momento præteruolat haud vnquam reditura.*
*Occiput en calua eſt. lentus es? illa abijt.*

ΑΔΗΛΟΝ.

*O nihil eſt. CC. bis centum nunciat, A nil*
*S. Quintum, Primum, I. Rurſus &, o. nihil eſt.*
*Principium nihil eſt: bis Centum plurima, quinq;*
*Non ſatis eſt, vnus ſat, venit inde nihil.*
*Et licet obſcura hæc videantur carmina, poſſunt*
*Si benè perſpicies ſingula, clara loqui.*

## ACCOMMODANDA VERBA REBVS ESSE, NEC VIM VLLAM AFFERENDAM INVENTIS.

### Symb. LXXII.





## BALTHASSARI RVSTICELLO FACESSAT AFFECTATIO.

### Symb. LXXII.

*Dvm bonus inuentis animum accuratius implet*
*Hinc Genius: prohibet ſed malus hinc Genius*
*Ipſa malum tamen expellit Prudentia mater,*
*Nullamq; inuentis vim fieri patitur.*
*Optima nimirum rebus plerunq; cohærent,*
*Cernunturq; adeo lumine verba ſuo.*
*Illa tamen, tanquam lateant, ſemperq; recedant,*
*Quærimus, atq; locis ex alijs petimus,*
*Quæ Natura iubet nobis præſto eſſe benigna.*
*Quid quæris? Genium hoc eſt violare bonum.*
*Optima ſunt minimè accerſita, ſimillima veris.*
*Obſtant ſynceris peſſima ſimplicibus.*

## FERENDAM EGESTATEM ET SENECTAM HVMANITER.

### Symb. LXXIII.






## CONFECTVS SENIO ENNI EQVVS QVIESCIT CVLPANDA NON EXTERNA, SED MORES MALOS.

### Symb. LXXIII.

*ENnius ille olim paupertatem, atq; ſenectam,*
*Quæ duo longè maxima vulgò onera eſſe putãtur,*
*Dicitur vſq; adeo fortis victorq; tuliſſe,*
*Vt viſus ſit eis penè oblectarier vltrò.*
*Quod certè ſapienter fecit, vt omnia dixit.*
*Nãnq; petenda à ſe ipſo conſtituit bona primum*
*Vera: quibus facilè bene viuitur, atq; beate.*
*Inde malum huic poterat non vllum iure videri,*
*Quod Natura parens, vel ſors aduerſa tuliſſet.*
*Non igitur ſenium, non pannis obſita egeſtas,*
*Non externa alia, at mores culpentur iniqui.*

RES CONSILII OPE, HAVD VIRIBVS MAGNAS GERI.

## Symb. LXXIIII.





QVIETVS IN PVPPI TENET CLAVVM SENEX.

## Symb. LXXIIII.

*Aſpice quàm ſatagunt totis qui viribus alnum*
*Sollicitant iuuenes fluctibus in medijs.*
*En malos alij ſcandunt, trahit ille rudentes,*
*Per patulos audax curſitat ille foros.*
*Exhaurit ſentinam alius, ſecat æquora tonſis*
*Certatim Remex: Vela alij faciunt.*
*In puppi reſidens clauum tenet ille quietus,*
*At non quæ iuuenum robora, ſtrennuitas,*
*Quin multò maiora facit, melioraq; ſolus*
*Ipſe ſuo præſtans omnibus ingenio.*
*Res magnæ haud valido, aut veloci corpore fiunt,*
*Verum animi ſenſu, conſilio, imperio.*

OMNIA CVI CEDVNT, DIVINO CEDAT AMORI.

## Symb. LXXV.





PAN VICTVS A CVPIDINE IN LVCTA CADIT.

## Symb. LXXV.

Te quoq; Pan ouium cuſtos digniſsime, Amori
Luctando quondam ſuccubuiſſe ferunt.
Nec tibi profuerunt ridenti cornua fronte,
Barbaq; Phœbea lampade ſplendidior.
Non illa aſtriferum referens tua Nebris olympum,
Non calamis ſeptem fiſtula diſparibus.
Non dextra geſtaſse pedum, quo cuncta gubernas,
Nempè tuum eſt Mundi totius imperium.
Ergò ſi tantum numen tu cedis Amori,
Ecquis erit noſtrum cedere quem pigeat?
Victore à ſummo vinci victoria ſumma eſt,
Teſtis naturæ es maximus ipſe parens.

## MENS SEPIENDA ROBORE SVO IN OPTIMIS.

### Symb. LXXVI.






## PETENDA AB OPTIMO OPTIMA.

### Symb. LXXVI.

*Quadrato ſedet en ſaxo Phœbeius augur*
*Votaq; concipiens optima conſequitur.*
*Sed cur conſequitur? quia finem reſpicit vnum*
*Idq; petit conſtans quod ſemel inſtituit.*
*A ſuperis igitur ſunt optima cuiq; petenda,*
*Durandumq; alti robore firmo animi.*

## QVÆ SIT PRECATIO OMNIVM STVLTISSIMA MALI DEVM COLVNT MODO OB PECVNIAM.

*Frui expetendis per ſe, & immortalibus*
*Verum eſt bonis, at ijs tamen,*
*Quæ propter aliud quærimus, mage vtimur*
*Vti ergo temporari s*
*Oportet, vt fruamur æternis, mali &*
*Præpoſteri pecunia*
*Frui volunt, vti Deo: hunc enim colunt*
*Tantummodò ob pecuniam.*
*Non propter illum hanc. ſcilicet ſtultiſſimum*
*Genus hominum, & teterrimum.*

## LVDOVICO BECATELLO EPIS.
## AMABITVR QVI AMAVERIT.

### Symb. LXXVII.





## IPSVM QVI SESE VINCIT FACILE OMNIA VINCIT.

FINIS PRINCIPIVMQ. AMOR BONORVM EST.

### Symb. LXXVII.

*Concilij humani, conuictus, colloquiorum*
*Principio cauſſam præbuit ignis edax.*
*Attamen ignis edax corrumpit cũcta. Quid ergo?*
*An quia finis idem eſt, principiumq́; ſimul?*
*Certè Amor eſt ignis corrumpens omnia, alensq́; &*
*Omnia qui vincit vincitur igne ſuo.*
*Ipſum ſeſe igitur diſcet qui vincere, vincet*
*Cætera, amabitur & quiſquis amare volet.*

# VERA IN COGNITIONE DEI, CVLTVQ. VOLVPTAS.

## Symb. LXXVIII.



ΟΥΧ ΗΔΥ ΣΩΜΑΤΟΣ ΟΝΟΜΑΣΘΕΙΣ
ΑΛΛ ΗΔΥ ΓΝΩ[illegible]Ν



# ROBERTO MAGIO.

SIC FRVIMVR DVLCI NECTARE, ET AMBROSIA.

## Symb. LXXVIII.

*Cvr olim pulchros rapti Ganymedis honores*
*Diuinæ cecinit conditor Iliados?*
*Nempè opifex rerum, mundi melioris origo,*
*Non forma capitur corporis, aſt animi.*
*Ipſum teſtatur nomen, nam ſumma voluptas*
*Eſt homini cum ſe cogitat eſſe pium,*
*Quid ſibi vult aliud pietas, quâm noſcere verum,*
*Et puro mentis flore Deum colere?*
*Hac ipſe allectus rex maximus, optimus, ad ſe*
*Nos rapiens, dira morte carere facit.*
*Qua mens lætitia effertur ſecura tuendo*
*Diuinam ſpeciem? id nectar, & ambroſia eſt.*
*Interea canis obſcænæ latratus in auras*
*Sæuit nequicquam. hæc bruta cupido hominũ eſt.*
*Quæ furit inferius. Sublimis at ille triumphat.*
*Tu quoq; ſic vtinam mens rapiare mea.*
*Magnum olim fuit hoc Decimo placuiſſe Leoni,*
*Maximum erit poſthac quod placuit Magio.*

SCVLPTORIB IAM NVNC GANYMEDEM CERNE LEOCRÆ
PACATI EMBLEMA HOC CORPORIS, ATQ. ANIMI EST.

## Symb. LXXIX.






REGINALDO POLO, CARD. AMPLISS.
PAX EST LÆTA PIIS VSQ. DOMI. ATQ. FORIS.

## Symb. LXXIX.

*Aſpice quàm ſentit magni Iouis armiger ales*
*Quid rapit, & cui fert in Ganymede ſuo.*
*Vnguibus en etiam per veſtem parcit aduncis,*
*Ne quid pacatis ſenſibus officiat.*
*Sic olim expreſsit mirè otia læta Leocras*
*Sculptor compoſiti corporis, atq; animi:*
*Tota mente Deum, ac pura noſce, & cole, preſtò*
*Læta domi, atq; foris pax erit vſq; tibi.*

Y

## GVIDONI PEPVLO PHILIPPI OCELLO.

### Symb. LXXX.






## HIC ANTERΩΣ QVID EST NISI VERVM ESSE AMOREM MVTVVM?

### Symb. LXXX.

*OLim cupidinem editum Venus dedit*
*Blandis alendum gratijs. mater dolens,*
*Quod nulla earum diligentia puer*
*Ipſa vt volebat, creſceret, mox Delphicum*
*Oraculum conſuluit: indè retulit*
*Hæc verba reſponſi.* ἀντέρωτα, *gignier*
*Neceſſe prorſus eſſe. Sic enim fore vt*
*Certatim vterq; ad vsq; magnitudinem*
*Concreſceret iuſtam: proindè quum Dea*
*Hunc procreaſſet, educandum & gratijs*
*Item dediſſet, factum in ipſo tempore eſt*
*Quod Delius cecinerat. Hoc quid vult ſibi*
*Aliud, quàm oportere eſſe amorem mutuum?*
*In corde amantis naſcitur quidem ipſe amor,*
*Non creſcit is tamen, ni ametur inuicem.*
*Quid quæris? hocce tu ſat intellexeris,*
*Guido optimorum ſpes, decusq; ciuium,*
*Si conſulueris ipſe Apollinem tuum, &*
*Almam Dionem, quin & ipſas* GRATIAS,
*Quæ te educarunt, & habent chariſſimum.*

# MARIO NIZOLIO.

## Symb. LXXXI.






# AMOR LABOREM FERT, EVM ADMIRATIO.

## Symb. LXXXI.

*Pallada miraris ceruo inſediſſe fugaci,*
*Quem ſequitur duplex, aſſequiturq́; canis,*
*Thaumaſtus petit hinc, acris Camaterus & illinc,*
*Admirator hic eſt: improbus ille labor,*
*Diſcendi mirum parit admiratio amorem.*
*Quid non improbitas dura laboris agit?*

# NEC NIL, NEC NIMIVM.

## ΓΑΝΤΑ ΑΝΑΒΑΛΛΟΜΕΝΟΣ.

## Symb. LXXXII.






## HOC BOCCHIANI SYMBOLVM ES NVMISMATIS MATVRA FESTINATIO.

## Symb. LXXXII.

*INclyta falcatis inſignia ſuſtinet Alce*
*Unguibus, & μηδέν fert ἀναβαλλόμενος*
*Contrà alius ſuadet magnis rationibus, atq;*
*Exemplis, ſemper πάντ' ἀναβαλλόμενος.*
*Aſt ego nec μηδὲν, neq; ſemper πάντα, ſed inter*
*Hæc duo: quod poſitum eſt, id ſatis eſſe puto,*
*Vt neq; cunctandum nimis eſt, ita nec properandum.*
*Maturè celeri nil prius eſt genio.*
*Hic regnat, iuuenis præſtò eſt huic diuite cornu*
*Copia, grandæuus quam regit ille ſenex.*
*Tertius at duris calcaria iuncta lupatis,*
*Sic medium oſtendens inter vtrunq; tenet.*

## GASPARI ARGILENSI.

### Symb. LXXXIII.





## NON OMNIB. FOELIX TEMERITAS ACCIDIT.

### Symb. LXXXIII.

*Qvam Pallas dextra ſibimet Tritonia præfert.*
*Attica, dic rogo, quidnàm atticè auis loquitur?*
*Prudens eſto, inquit, non omnibus aduolo paſsim,*
*Paſſim ſtulta cadunt nec bene conſilia.*

INGENS ANIMVS ERRATA CORRIGIT SVA.

Symb. LXXXIIII.






SYNCERA VERI HIPPOCRATIS CONFESSIO.

Symb. LXXXIIII.

*Dvm fortè curaturus effractum caput*
*Magnus ſpecillo explorat os Hippocrates,*
*Deceptus à ſutura, amicè, & liberè*
*Confeſſus errorem eſt ſuum ipſe poſteris*
*De more ſcilicet virorum illuſtrium,*
*Et maximarum habentium fiduciam*
*Rerum. ingenia enim leuia, quæ nil prorsũ habẽt,*
*Nil detrahunt ſibi. ſed altis conuenit*
*Syncera veri hæc mentibus confeßio.*

SPERANDA SVMMI EST PRINCIPIS BENIGNITAS,
MALIGNA VBI VRGET TEMPORVM NECESSITAS.

## Symb. LXXXV.






## IVLIO III. PONT. MAX.

## Symb. LXXXV.

*ARet ager meus, ac dulci niſi protinus vnda*
*Tuæ irrigetur gratiæ,*
*Ah miſerum prorſus ſemen morietur, amœni*
*Spes vnde fructus plurima eſt.*
*Nonne perennis aquæ fons es tu maximus? à quo*
*Diducta riuis flumina*
*Sexcentas faciunt ſegetes, mirabile dictu, ex*
*Marcerrinis latiſsimas?*
*Ardentẽ ergo meã hãc, & honeſtã ſparge liquore*
*Sitim tuo, qui nonnihil,*
*Si non omnino, ſaltem illam tempore in ipſo*
*Extinguat, & benignitas*
*In me talis erit tua iam Pater optime, qualis*
*Spes ſemper extitit mea.*

## A PVBLICA RE EXTERMINANDVM ESSE AMBITVM.

### Symb. LXXXVI.






## PAVLO IOVIO EPISCOPO NVCERINO.

### Symb. LXXXVII.

*Cæſar Alexander quendam, qui auram popularem*
*Summo captabat ſollicitus ſtudio,*
*Affigi palo iuſſit, tum protinus igni*
*Fumifero accenſo ex materia viridi,*
*Extingui fumo concluſis faucibus atro.*
*O dignum tanto principe iudicium.*
*Iure, inquit, fumo pereat, ſic vendere fumum*
*Qui ſolitus fuerat perditus, atq; emere.*
*Altrix multorum, & magnorum cauſſa malorum*
*Ambitio fuit, ac peſſima ſemper erit.*
*Conſcia Paule iſtuc tua mens Emblema probauit,*
*Ne te illaudatum ſymbola prætereant.*

# BER. MAFAEO CARDINALI.

## Symb. LXXXVII.






# FELICITAS PRVDENTIAE ET DILIGENTIAE VLTIMA EST.

## Symb. LXXXVII.

*Mvtare equos ad celeritatem haud eſt ſatis*
*Huic, quem vides, ni diligentia vtier*
*In exequendo itinere ſtet ſententia, &*
*Segni ſine intermiſſione ſtrenuè*
*Noctes, dieſq; pergere, vſq; dum ſemel*
*Curſum liceat olim inſtitutum confici.*
*Nam inchoando, tum remittendo, omnium*
*Rerum in dies profertur euentus, licet*
*Paruarum, & abit amiſſa procul Occaſio.*
*Benè inchoare, diligenter progredi*
*A carcere ad metam, vltima eſt felicitas*
*Conceſſa paucis, expetenda & omnibus.*

## LVSCINIAE HAVD DEFIT CANTIO.

### Symb. LXXXVIII.





## CONTENTIO LVSCINIÆ OB VICTORIAM.
## IVLIO CAMILLO FOROIVLIENSI.

### Symb. LXXXVIII.

*PRopter limpidum aquæ caput*
*Illimis zephyro dum genitabili*
*Arridens aperit ſe humus,*
*Dum ſe mollia paſsim viridantium*
*Denſant germina frondium,*
*Florenti teneræ ramulo ab arboris,*
*Dulci, garrula, murmure*
*Cantabat Philomela. interea nemus*
*Promptis vndiq; voculis*
*Argutum reſonare. indè ſua nitido*
*Vmbra fontis in æquore*
*Viſa, fortè timens vincier, integrat*
*Certatim varium, nouum,*
*Mellitum, lepidum cantũ animoſior.*
*Porrò ſuſpicioſula*
*Paulum conſtitit. hinc præcipiti volans*
*Lapſu falſæ ad imaginem*
*Formæ, vndã oppetijt. Naiades interim*
*Riſere. illa vbi plumulas*
*Iam tota vuida ſe deniq; fallier*
*Senſit, mox vacuum ſecat*
*Euro diffugiens ocyus aera.*

# SEMPER IVVAT PIOS DEVS.

## Symb. LXXXIX.






# CAROLO CRASSO CARD.

IVSTVS IVVATVR A IOVE.

## Symb. LXXXIX.

*Dvm pius auxilium mergendæ afferre puellæ*
*Vorticib. iuuenis ſub rapidis ſatagit.*
*Improbus hanc petiturus amor ſua tela parabat,*
*Nec tulit id ſummus Iuppiter æquo animo.*
*Quin ſubitò è manibus tacti omnipatente ab olympo*
*Præreptas triſido vendicat igne faces.*
*Aeterno præſens ab rege hominum, atq; Deorum*
*Quiſquis iuſta facit præſidium inueniet.*

# IVDEX INEPTVS PESTE PEIOR PESSIMA.

Symb. XC.






COCCYGIS, ET LVSCINIÆ CONTENTIO.
OFFENSIO ASPERA EX INEPTO IVDICE.

Symb. XC.

*Dic Muſa quæſo, cur diutius canit*
*Coràm homine, & accuratius luſcinia?*
*M. Illa, & Cucullus anni eodem tempore*
*Olim canendo, vt aſſolent in maximam*
*Contentionem ſorte quadam venerant,*
*De ſuauitate cantionis, & quia*
*Lis de ſono erat, aſellus eſt aptiſsimus*
*Tum creditus iudex, quòd auriculis ſoret*
*Præter animantes cæteras maioribus.*
*Aſellus autem repudiata protinus*
*Luſcinia, negare enim harmoniam illius*
*Se intelligere, palmam Cucullo adiudicat.*
*Illa ad hominē appellat, quē vbi videt, ſtatim*
*Cauſsam ſuam agit, & diligenter cantat, vt*
*Ei approbet ſe, ad vindicandam iniuriam*
*Acceptā ab aſino. Hinc diſcat ergò quilibet,*
*Vitare peius peſte ineptos iudices,*
*Nec belluinis auribus tam credere,*
*Præpoſtera vt fiducia, atq; offenſio*
*Naſcatur indè, pœnitenda, & aſpera.*

# COMPENDIOSA FAMA QVÆ ET PVLCHERRIMA, TALIS, QVALIS HABERI AMABIS, ESTO.

## Symb. XCI.






# CVPIDO NIMIA GLORIAE PLEROSQVE TRANSVERSOS AGIT.

## Symb. XCI.

*MAgnos habere gloriæ ſitim impetus,*
*Multosq́ tranſuerſos agi affectu hoc patet.*
*Ex numero eorum interrogabat Socratem*
*Quidam, an uia aliqua comparare maximã*
*Famam ſibi compendiò, & pulcherrimam*
*Valerent? Ipſum ſi modò talem te, ait,*
*Decreueris præſtare, qualis omnibus*
*Optas haberi. Dicier nihil poteſt*
*Compendioſius, vel abſolutius.*
*Non eſt petenda fama, quæ vltrò nobilis*
*Virtutis eſt comes, vt ſceleris infamia.*

## OBRVIT INVIDIAM NON VLTIO, SED BENEFACTA.

### Symb. XCII.





## VOTVM HERCVLI FERRARIAE DVCI INCLYTO.

### Symb. XCII.

*Qva fera Lernæi potuit vi colla draconis*
*Confeciſſe heros Amphitrioniades?*
*Dic rogo diua: tui nullo ſic tempore fama*
*Inclyta diuini nominis intereat.*
*M. Tot capitū ille olim haud dubiè exitiabile mōſtrū*
*Non ferro, at graio contudit igne magis.*
*Ignis enim graius medijs quoq; flagrat in vndis:*
*Igne hoc infelix vritur Inuidia.*
*Si qua laceßierit te iniuria forte malorum,*
*Si ſapis ignem adhibe hunc fortis, & aßiduus.*
*Iam nec cede malis, nec te malè ſana cupido*
*Vindictæ quicquam diſtrahat. illa Dei eſt.*
*Nec deſiſte tamen benè de quocunq; mereri.*
*Perpetuo inuidia extinguitur officio.*

# IN PARVVLIS VIM SAEPE INESSE MAXIMAM.

## Symb. XCIII.





## BENEDICTO ACCOLTO ARRETINO.

## Symb. XCIII.

Cvr tantula aſinum tantùm Acanthis oderit,
Obſcura non eſt cauſa, ſpinis affricat
Se ſe ille acutis. in quibus cubilia
Texens auicula nidulatur, eius &
Depaſcitur flores. Acanthis uſq; eò
Terretur, vt procul rudentem ſi audiat,
Deijciat oua: decidant pulli metu
E nidulo. nec fert inultum hoc. nam illius
Quà fuſtibus, quà ſarcinis facta vlcera
Paruo fodit roſtro, atq; pungit narium
Mollisſimas partes. Id omnes admonet,
Ne humillimis quidem inferendam iniuriam,
In paruulis vim ſæpe ineſſe maximam.

# LIBER QVARTVS.

## VIS ELOQVENTIÆ POTEST VNA OMNIA.

### Symb. XCIIII.






## CLAVDIO PTOLEMÆO EPISC. MODEGNETTI ORATORI SAPIENTISS.

### Symb. XCIIII.

Fvlgurat ecce, tonatq́, & miſcet cuncta Pericles
Ut rutilans perterricrepũ, & penetrabile fulmen:
Utq́ imitata ipſum fulmen bombarda triſulcum
Munitas arces, immenſa repagula, turres,
Oppida, & horribili euertit concuſſa fragore
Mœnia lata ſolo. non illi cominus audent
Siſtere ſe fortes turmæ, ingenteſue manipli:
Non clypei, non vlla queunt obſiſtere tela,
Deniq́ cuncta ruit peditumq́ equitumq́ per auras
Horrendum dictu glomeratos diſiicit artus:
Abſterretq́ adeo aerias diſploſa volucres
Quum boat, & penitus conceptos euomit ignes:
Sic oratoris ſummi admiranda facultas,
Quum ſe ſe ipſe refert totum à cæleſtibus illis
Rebus ad humanas, excelſius omnia certè, &
Magnificentius eloquitur, ſentitq́ mouetq́
Fortius, vt valeat prorſum nil ſiſtere contra
Igniuomo fatuos propulſans ore ſophiſtas.

# VALERE PLVRIMVM CELERITATEM AD LVCRVM.

## Symb. XCV.






# IANO RVSTICELLO BONON.

## MERCATORI IMPIGRO ET INTEGERR.

## Symb. XCV.

*A subeunte alno portum, ſopor abſit oportet,*
*Strenuus, & nautas anticipes auidos.*
*Tolle recens primus piper è ſitiente Camelo*
*Quiſquis dulce lucrum conſtituis facere.*
*Vili emptæ conſtant merces, at carius indè*
*Venduntur. melior ſors noua ſæpe venit.*

## SEMPER SVORVM CVRAM HABENDAM REGIBVS.

### Symb. XCVI.






## BERNARD. MAPHAEO CARD.

### Symb. XCVI.

*Semper* AXOS *Regum comes eſt, hos nanq; ſuorum*
*Indefeßa omni tempore cura tenet.*
*Inde pio Aeneæ prudens, & fidus Achates*
*Coràm ſemper adeſt conſilio, auxilio.*

# QVATE FIERI NVLLO IMPETV MENTEM BONAM.

## Symb. XCVII.






# POMPEIO ZAMBECCHARIO.

## Symb. XCVII.

*Pyramis excelſo vaga ſydera vertice lambens*
*Quattuor en ſolidis nititur aſtragalis.*
*Peruigil huic oculus ſuper excubat, atq; ſupremo*
*Fungitur eximij principis officio.*
*Corporeos ſenſus reliquos immota crepido*
*Continet in medijs fluctibus intrepidè.*
*Non vi ventorum valida, non Tybridis vllo*
*Impete, non rapidis vorticibus quatitur.*
*Vnde quater ſolidæ virtuti gloria nixa*
*Tollit honoratum celſa ſub aſtra caput.*
*Mens ſecura manet, circum fluitantibus undis*
*Fortunæ, caſus nec timet ancipites.*

## ARCANA QVÆRENS CVRIOSIVS, PERIT.

### Symb. XCVIII.






## SEBASTIANO PIGHINO CARD. SAPIENTISS.

### Symb. XCVIII.

NAm cui fas vidiſſe fuit cæleſtia regna?
Quæ ſi fortè aliquis temerarius audeat olim
Quanquam intenta acie, atq; inconniuente, tueri
Totius ingenij, medijs infirma repentè
Lumina deficiunt conatibus, ægraq; in ipſis
Caligant radijs, vt ſi quis fortè videndo
Tentet Apollineos demens comprendere vultus.
Ilicet ecce illi obtutus torpeſcit, & atris
Paulatim inficitur tenebris lux candida, certant
Et lux, & tenebræ. mox circum tempora oberrat
Caligo, noctemq; oculis prætendit opacam.
Sic maieſtatem quiſquis ſcrutabitur, illum
Opprimet extemplò diuinæ gloria lucis.
Hic requies Petro, tibi Moſes legifer ille,
Heliasq; aderunt in montis vertice ſummo,
Victori hic Domino ſtatues ſublime tropæum.

# NON APPETI DEBERE GLORIAM, AT SEQVI VERAM.

INVIDIA ENIM PESSIMA VNA HAC VINCITVR.

## Symb. XCIX.






## IO. BAPTISTAE EGNATIO.

## Symb. XCIX.

*Nota Paretonij Crocodilus bellua Nili*
*Sectantes fugitat, qui fugitant ſequitur.*
*Vſu etiam ille caret linguæ, morbiſq; leuandis,*
*Vtile corporeis, ſuaueq; ſtercus habet.*
*Sic vera inſtantes ſpernit, ſpernentibus inſtat*
*Gloria, quin maior ſpreta redire ſolet.*
*Nil opus eſt lingua, celebris quum fama loquatur,*
*Et virtus merces ſit ſibi pulchra ſatis.*
*Præcipuam vtilitatem affert quoq; gloria, tollit*
*Multa animi vitia, atq; inuidiam ſuperat,*
*Contra vana illa eſt popularis, quæ Crocodili*
*Fucatur ſuaui ſtercore gloriola.*

# VITA EST SINE QVERELA OPTIMA.

## Symb. C.






# HIERONYMO FERRIO CIVI BONON. INTEGERRIMO.

## Symb. C.

*SIC viue, ne ſit cur olim quiſpiam*
*De te, vel ipſe conqueri*
*De quopiam, aut de ſorte poſſis: ipſe nec*
*Cuiquam volens iniuriam*
*Facito: nec vnquam credito factam tibi,*
*Si vis beatè viuere,*
*Aſſueſce conditione quantula tua*
*Vti, & minus de illa queri.*
*Apprēde quicquid commodi circa ſe habet.*
*Quippè vſq; adeo acerbum eſt nihil,*
*In quo æquus animus quidpiam ſolatij*
*Non inuenire ſit potis.*

## IN MALARVM PERFIDOS SATORES LITIVM.

### Symb. CI.






## PAVLO PINO IVRISCON. BONONIENSI.

### Symb. CI.

*INter gemellum Caſtorem, atq; Caſtoris*
*Gemellum, iniquus tetricas*
*Eurymnus artibus ſerere lites malis*
*Aggreſſus, vt committeret*
*Vtrunq;, iuſtas poſtmodò pœnas dedit,*
*Cum fortè vterq; in gratiam*
*Rediſſet, vt ſit, agnita calumnia.*
*Quod accidat vtinam omnibus,*
*Qui ſeu propinquos, ſiuè amicos perfidi*
*Fidos ſtudent diſiungere.*

# SAPIENTIAM MODESTIA, PROGRESSIO ELOQVENTIAM, FELICITATEM HAEC PERFICIT.

## Symb. CII.






## STEPHANO SAVLIO.

### IN HERMATHENAM BOCCHIAM.

## Symb. CII.

*Qvis tibi ſancte puer, vires animumq́ miniſtrat*
*Maximũ, vt exiguo monſtrum adamante regas?*
*Nonnè vides ſummi eductam de vertice patris,*
*Auſpice facundo Pallada Atlantiade?*
*Hanc cole totius mentis penetralibus ardens,*
*Sic animo poteris quicquid & ore voles.*
*Incipe age: en virga te iam Deus euocat orco,*
*Me duce perficies; tu modò progredere.*
*Iam pater en* STEPHANVS *te* SAVLIVS *ille bonorũ*
*Præſidium, atq; decus, macte animo eſſe iubet.*

# FIDES EX BONITATE, CHARITASQ. AC SPES EST, DECVS INDE SEMPITERNVM.

## Symb. CIII.






# ALEXANDRO FARNESIO CARDINALI AMPLISSIMO.

## Symb. CIII.

*In te ſperaui ſemper mitiſſime princeps,*
*Nec tua ſperantem deſtituit bonitas:*
*Quippè ea ſic voluit, quæ maxima, & optima virtus,*
*Cuncta creans reficit, perficit vna ſimul.*
*Me tamen oppreſſum tenebris nox atra malignis,*
*Hactenus optata luce carere facit.*
*Ergò ſplendidior tu ſydere lucifer omni*
*Exoriens almum iam mihi pande diem.*
*En calathis Aſtræa tibi fert lilia plenis*
*Lata, tui memores vt facias alios.*
*O qui das tibimet decus immortale merendo*
*Si memorem facias me quoq; diue tui.*

# AVGVSTA SPES HAEC SFORCIAE EST.

## Symb. CIIII.






## Ascanio Sforciæ Card.

## Symb. CIIII.

*Spes facit ambigua Tiphym ſulcare triremi*
*Aequora, & inſanis tradere vela Notis.*
*Spes facit Eleum curſorem carcere pulſo*
*Ad metam rapido ſollicitare gradu.*
*Spes facit incerto peditem ſe exponere Marti,*
*Et conclamatam ſæpe redire animam.*
*Mille quoq; afflictum curis ſpes hactenus una*
*Erigit, atq; bono me iubet eſſe animo,*
*Quam tua in eximia illa habeo bonitate, tuaq;*
*Iuſtitia, ac vera nobilitate ſitam.*
*Nam mihi qui poſſunt nolunt prodeſſe, volunt qui*
*Non poſſunt. tu vis vnus, & ipſe potes.*
*Flora Auguſta igitur nunquam interitura, bonorum*
*Tu caput, & medium es, mox quoq; finis eris.*

VVLGO EST MINOR LVCELLO HONOR.

Symb. CV.





FREQVENTIAM AD SPECTACVLA LVCRVM EXCITAT MAGIS, QVAM HONOS.

Symb. CV.

*Receptus, & probatus ille mos fuit*
*Olim iam Athenis, diuidendæ nonnihil*
*Pecuniæ vulgò affluentibus ſacræ.*
*Frequentiores nanq; ſic libentius*
*Allecti adibant publica ad ſpectacula.*
*Mercedulæ ſpe vulgus indoctum magis*
*Longè mouetur ac honore vt maximo.*

IBI EST SALVS TVTELAQ.
VBI REVERENTIA ET PVDOR.

Symb. CVI.






IVSTA SOPHOCLEO SENTENTIA
DIGNA COTHVRNO.

Symb. CVI.

*Svperbus ille habendus eſt, & inſolens,*
*Nihil ferendus, principum qui ſubditus*
*Mandata perſequi ſuorum negligit,*
*Nam legibus fundarier nulla vrbs valet*
*Rectè, vnde prorſum abeſt verecundus timor.*
*Ecquis regi prudenter vnquam exercitum*
*Poſſe abſq; propugnaculo tutisſimo*
*Metus, pudorisq; integerrimi, aſſerat?*
*Sed cogitare oportet, hominem, vt corpore*
*Magno ſit, attamen vel à paruo malo*
*Plerunq; conſternari. Vbi reuerentia*
*Pudorq; ſanctus, ibi ſalus tutelaq; eſt.*
*Veh ciuitati, in qua viget nefaria*
*Contemptio legum, atq; per licentiam*
*Abiecta obedientia fit quod libet.*
*Talem, vt beatam vrbem, tamen mox iudica*
*De vertice alto peſſum ituram funditus.*

# ET LINGVAM ET IRAM CONTINE.

## Symb. CVII.





# IOANNI ANGELO MEDICI CARD.

## Symb. CVII.

*Nil agis ò furor. incaſſum mea corda fatigas.*
*Magno animo Herculeus me iubet eſſe labor.*
*Ora Cleonei hic fregit diſcerpta Leonis,*
*Allidens linguam dentibus implicitam.*
*Vim ſtomacho appoſitam noſtro compeſcere verũ eſt,*
*Et ſeptis linguam continuiſſe ſuis.*
*Angele Cardinei ſplendor, columenq́; Senatus,*
*Aulæa hoc olim nos docuere tua.*

# ACVMINE, RATIONE, DILIGENTIA BEARIER QVIVIS POTEST.

## Symb. CVIII.






## CLARISSIMO BERGVNCIO.

## Symb. CVIII.

COGNOSCE, ELIGE, MATVRA, *Berguncius Heros*
*Hæc tria poſſe olim quemq; beare putat.*
*Idq; notis prudens ſeptenis explicat hiſce,*
*Quo nil diuino ſanctius eſt numero.*
*Circumſpecta etenim Prudentia cor oculatum eſt*
*Principium vitæ fons, & origo animi.*
*Colli ornamentum torques, & pectoris alti*
*Aurea, doctrina eſt Cyclica, cordis honos.*
*Libram Virgo tenens quadrata, rotundaq; penſat,*
*Delphino & vehitur lentius approperans,*
*Cuius honoratam impediunt redimicula frontem*
*Laurea, amica bonis, atq; inimica malis.*
*Ille autem in medijs portus tutiſſimus extans*
*Fluctibus, excelſi læta quies animi eſt.*
*Poſtremò nitidus radiantis fulgor olympi*
*Vitæ immortalis ſpemq;, decuſq; notat.*

ΜΗΔΕ ΔΟΜΟΝ ΠΟΙΩΝ ΑΝΕΠΙΞΕΣΤΟΝ ΚΑΤΑΛΙΠΕΙΝ.

## Symb. CIX.





# ALEX. FARNESIO CARDINALI.

NE LINQVE ÆDIFICANS DOMVM IMPOLITAM.

## Symb. CIX.

*Quicunq; ædificas, domum videto*
*Vt linquas malè cautus inchoatam,*
*Ne fors crocitet inſidens ſupernè*
*Cornix garrula, & inſolens, nec ab re*
*Inuiſa vnigenæ vſq;, & vſq; Diuæ.*
*Sic Vates heliconius monebat.*
*An quia ante hyemem domus niuoſam*
*Abſoluenda? etenim hæc amica fida, hic*
*Cenſus optimus. An quia inſtitutum*
*Quod rectè ſemel eſt opus: ſit ipſum*
*Primo tempore quoq; finiendum?*
*Ergò perficere vt queam ſecundis*
*Rem cœptam auſpicijs tuis, auiq;,*
*Quo nil terra videt beatius, iam*
*Pro veſtra eximia benignitate,*
*Præſentem obſecro vos opem feratis,*
*Ne vulgus mihi detrahat malignum,*
*Fidum deſpiciens clientem iniquè*
*Qui vos ſuſpicio, & colo patronos.*

# EST NVLLA VITA LAVTIOR DOMESTICA, NEC LAETIOR.

## Symb. CX.






## AD EVNDEM.

## Symb. CX.

*Genus animantium magnus Iuppiter*
*Rogauit olim ad nuptias, tum cætera*
*Venere. Teſtudo vna reſtitit, neq;*
*Niſi peracto aduenit hæc conuiuio.*
*Miratus autem Iuppiter, quid in mora*
*Fuiſſet illi: interrogauit protinus.*
*Reſpondit illa. Amica ſemper eſt domus,*
*Et ſemper optima domus. At Diuũ pater*
*Iratus imperauit, vt domum ſuam*
*Vnà vſq;, & vſq; in poſterũ, quocunq; iter*
*Intenderet, ſecum ipſa circunferret. Id*
*Iam ne accidat, manere ſemper vt domi*
*Cogar, patrone, opes meis conatibus*
*Imploro, & appello tuas, ſimul fidem*
*Quancunq; ſuadet liberalitas tibi*
*Da tu facultates, quibus benè, & cito*
*Abſoluere inceptam domum ſit fas duce*
*Te, & auſpice, vt vocatus ab Ioue*
*Noſtro ad cupitas nuptias queam*
*Bonæ Hermatenæ adeſſe in ipſo tempore,*
*Cui deeſſe turpe cæteris, nefas mihi eſt.*
*Quin annuat præſens benignitas tua*
*Quod ſpero, & opto tunc procul negocijs*
*Domi manebo ſemper ex ſententia,*
*Egoq; apud me ero, otia ipſe feceris.*

ILLÆSVS CANDOR SEMPER VBIQ. MANET.

## Symb. CXI.





# IVLIO MEDICIO CARDINALI, QVI POSTEA FVIT CLEMENS VII. PON. MAX.

## Symb. CXI.

*Clara olim rebus fortiſsime Iule ſecundis*
*Illa tui ſemper vis animi fuerat.*
*Sed tamen aduerſis multo præclarior extat,*
*Vt nitidus medijs Heſperus in tenebris,*
*Nanq; tibi plures adſunt, mirabile, amici*
*Tempore tam duro hoc, rarior hoſtis obeſt*
*Extinctæq; faces prorſus liuoris iniqui,*
*Ac tuus illæſus candor, vt ante, manet.*
*Quin magè floret adhuc. haud illum iniuria ſæui*
*Temporis, haud hominum conficiunt ſcelera.*
*Eſſe quid hoc dicam? magna eſt fortuna, potensq;,*
*Sed virtus longè maior Iule tua.*
*Nec tu fortunam. iam te fortuna veretur,*
*Et colit, & ſummi numinis inſtar habet.*
*Hæc tibi mox iuſſu virtutis deferet vltrò*
*Quod prius Inuidia diſtulit imperium.*

## VIRTVTIS OMNIS EST IN ACTIONE LAVS.

### Symb. CXII.





## PRO MAXIMO FARNESIO.

### Symb. CXII.

*Monſtrorum Alcides domitor, Iouis inclyta proles,*
*Circinum agens orbem perficit eximium.*
*Magnus Atlas librum retinens circumſpicit aſtra,*
*Quæ quondam Alcidæ fulſerat uuxilio.*
*Diuini Heroes ambo, cœlestibus ambo*
*Imperitant astris. hic videt, alter agit.*
*Quæris vter potior? potuit qui vincere monstra,*
*Et ſe qui potuit vincere, monstra potest.*
*Verus hic Alcides ſolida est qui mente, animoq́*
*Impauido, iustus propoſitiq́ tenax.*

## VIRTVS SAT AD FELICITATEM STOICA EST.

### Symb. CXIII.





## VIRTVS IPSA SIBI NISI CONSTET, NOMEN INANE EST.

### Symb. CXIII.

*Svmmus in aduerſis, fortunatusq́ ſecundis,*
*Quiſquis erit felix, atq́ beatus erit.*
*Vt Marius quondam, cui fortiter inclyta virtus*
*Proſpera magnanimo ferre, & iniqua dedit.*
*Qui tantum vſurpas virtutis nomen inane*
*Diſcito quid conſtans ipſa ſibi valeat.*
*Nam cui ſpes omnis, ratioq́ ex ſorte volucri*
*Pendeat, huic certi iam nihil eſſe poteſt.*
*Nilq́ quod exploratum habeat ſibi permanſurum*
*Ne eſſe quidem puncto temporis exiguo.*

MAGNAM PARVA FACIT FAVILLA FLAMMAM.
HÆC PVLVERIS INVENTIO BOMBARDICI.

## Symb. CXIIII.





## FRANCISCO BOLOGNETO BON.

## Symb. CXIIII.

*Avriferam ſummis, certa ſpe viribus artem,*
*Rerumq; ſpecies vertere.*
*Alcumiſta malus dum quærit, nuper aheno*
*Terebat in mortario,*
*Admixtum ſulphur nitro, & carbone ſaligno.*
*Tum excuſa parua ferrei*
*Piſtilli incerto ſcintillula protinus ictu eſt.*
*Vnde excitatum incendium*
*Ingens corripuit rutilantibus omnia flammis,*
*Ipſumq; opificem perditum*
*Vi decuma abſumpſit Phlegræi fulminis inſtar.*
*Inuentio Bombardici*
*Pulueris iſta fuit. Sic ignem ſæpe fauilla,*
*Vt minima, maximum facit.*

## QVADRATO NVMERO PATRVM BEANDA EST LIBERTAS POPVLI BONONIENSIS.

### Symb. CXV.






## S. P. Q. B.

## FORTES SALVTEM AFFERT SIBIMET IPSE IMPERANS. SIC FINGITVR BONONIA.

### Symb. CXV.

*Felſina docta tibi denus quater imperat ordo*
*Denus quadrato perficitur numerus.*
*Libertas, cenſus, leges, cuſtodia, fines*
*Quattuor hos virtus continet vna patrum.*
*Purpurea hinc albo crux interſecta ſalutem*
*In pace, illa decus lilia fulua notant.*
*Signifer id ſtatuit ſignum Leo, vincit & iram*
*Fortis, vexillo hoc imperat ipſe ſibi.*

# CONSVLTVM MALE CONSVLTORI PESSIMA RES EST.

## Symb. CXVI.






# In obloqvvtores loqventes barbare.

## Symb. CXVI.

*MVgitus hominis ferus igni ſubdito aheni*
*Tauri opifex Siculo pollicitus Domino.*
*Primus opus, primusq; periclum iure Perillus*
*Fecit, in autorem pœna ſequax rediјt.*
*Non etenim melior lex eſt, neq; iuſtior vlla,*
*Quàm necis artifices arte perire ſua.*
*Leniter ò vtinam ſic comburatur iniquus*
*Romano quiſquis detrahit eloquio:*
*Vt, quando rectè ille loqui contempſerit: olim*
*Planè mugitus edere percipiat.*

## SEMPER LIBIDINI IMPERAT PRVDENTIA.

## Symb. CXVII.





# AD CAROLVM CRASSVM CARD.

## Symb. CXVII.

*Nil violentum, quod citò idem non ſit ruiturum*
*Quandoquidem proprium eſt rationis*
*Humanæ interea nunquam requieſcere, donec*
*Ipſa ſuum ad rectum redeat. quin*
*Abruptis, vt equi indomiti, duro ore lupatis*
*Stare loco nequeunt, furibunda*
*Diſcurſant rapti vſq; licentia, & impete vaſto,*
*Dum captos, preſſoſq; capiſtris*
*Ad palum innodent, aut ad præſepe magiſtri,*
*Dædala ſic miſeræ ambitionis*
*Atq; libidinis inſanæ Prudentia ſemper*
*Eſt correptrix, & moderatrix.*

## SPERNE VOLVPTATES
### NOCET EMPTA DOLORE VOLVPTAS.

### Symb. CXVIII.





## IOANNI POGIO CARDINALI BONONIENSI.

### Symb. CXVIII.

*Nuper Pogius hoſpitalitatis*
*Fons, idem & pater elegantiarum,*
*Hamatum cochlear dedit ſecundis*
*Menſis, quo ſibi quiſq; poſſet aptè*
*In os inſerere, vt minutiora eſt*
*Mos bellaria, prandio peracto.*
*Tunc res ridicula accidit, grauiſq;,*
*Nanq; hamum ſibi quenq; deuoraſſe*
*Senſit Bocchius, atq; ita eſt locutus.*
*Ne factum temerè putes, ſed alta*
*Mente, & conſilio optimo. Quid ergo?*
*Nempè id ſignificauit, vt voluptas*
*Triſti hamata dolore non amanda.*

# ARCANA CONTINEBIS ET CALVMNIAS.

Symb. CXIX.





# EXEMPLVM ALEXANDRI INCLYTVM HVMANITATIS ET FIDVCIAE.

Symb. CXIX.

*Legebat olim miſſam epiſtolam ſibi*
*A matre Alexander Macedo, quæ plurima*
*Arcana continebat, & calumnias*
*In Antipatrum, vnaq; cum Rege, vt ſolet,*
*Hepheſtion legebat. hunc autem neq;*
*Legere vetuit, at lecta epiſtola annulum*
*Repentè ſignatorium è digito ſuo*
*Detraxit, atq; ori eius appreſſit, monens*
*Geſtu hoc, tacenda arcana. Diſcant poſteri*
*Fiduciæ exemplum de amico nobile,*
*Tum humanitatis ſingularis. qui licet*
*Inuiſum haberet Antipatrum, latius*
*Spargi tamen non paſſus eſt calumnias.*

# DISCE CITO, NAM VITA BREVIS.

SPINOSA FACESSANT.

## Symb. CXX.






# IACOBO CASONIO CENTANO DISCIPVLO.

## Symb. CXX.

*GRatia quàm florum breuis eſt, præcepsq́ rapina,*
*Et dum pubeſcunt conſenuere roſæ.*
*Tam nobis breuis eſt ætas, præcepsq́ iuuenta,*
*Et dum pubeſcunt conſenuere genæ.*
*Ergo agè dum potis es, præſentibus vtere: ne cras*
*Expectes. Si vis diſcere, diſce hodie.*
*Sed malè doctorum prudens à ſentibus aſpris*
*Ne lædare prius, quàm doceare, caue.*
*Sentibus hamatis turpis lætatur aſellus.*
*Hinc meritò Craſſus riſerat ille ſenex.*

# FORTVNA NOSTRI SECVLI, FERENDA QVAMVIS PESSIMA.

## Symb. CXXI.





# SIGILLVM AHENEVM MALAE FORTVNAE ADINVENTVM BONONIAE. M. D. XLIX.

## Symb. CXXI.

*Fortunæ quõdam Auguſtæ hæc fuit integra imago,*
*Iſto ambas duro tempore trunca manus.*
*Vt leua amiſit cornu, ſic dextera clauum*
*Sola gubernacli en infima pars reliqua eſt.*
*Otia digna viris periere, negotia vitæ*
*Plena periclis ſunt exitiabilibus.*
*Fex poſtrema hominum ſupereſt. polus ille faceſſit*
*Aſtrifer, & ſummi numinis auſpicium.*
*Compoſitis fuerat, paſsis nunc crinibus illa eſt,*
*Nam modus omnis abeſt, & pudor ingenuus.*
*Fert præ ſe obſcœnam faciem meretricis auaræ,*
*Luſca, procax, petulans, improba, triſtis, atrox,*
*Impatiens iuris, mendax, furibunda, ſuperba,*
*Sæua, maligna bonis, læta, benigna malis.*
*Ante pedes vacui veſtigium, inanis & vmbra*
*Reſtat, vbi ſolidus, verus & orbis erat.*
*Quid plura? expreſſa hæc noſtrorũ temporũ imago eſt.*
*Auguſtam ergò colas qui ſapis, hanc fugias.*
*Quin imò, vt veteres olim fecere, ne obeſſet*
*Huius perſanctè numen & ipſe colas.*

## IN CORDE PVRO VIS SITA PRVDENTIÆ.

### Symb. CXXII.






## SEBASTIANO CORRADO.

### Symb. CXXII.

*Cor fons venarum: illinc ſemita ſpirituum: illud*
*Senſibus, & vitæ creditur eſſe caput.*
*Quin ſi animus Deus eſt, animus cor, cor Deus ergo eſt.*
*Mens quoq; ſub puro corde profunda manet.*
*Hinc cordatus homo: hinc laudauit corculum, honeſto*
*Nomine, Naſicam martia Roma ſuum.*
*Olim adeo Hetruſcis ſumma obſeruantia, ſumma*
*Relligio fuerat cordis haruſpicibus.*
*Corde ſilente etenim, vel deficiente, minacis*
*Omnia fortunæ plena fuere malis.*
*Sed raptum à coruo Hermocrati dis fortè litanti,*
*Cor felix quondam fecerat auſpicium.*
*Caſto, atq; integro, mihi crede, litatio corde*
*Nulla poteſt ſummo gratior eſſe Deo.*
*Auſpicijs Academiæ Corrade ſecundis*
*Hocce tibi nomen cœlitus impoſitum.*
*Excors noſtra, tuo ſine corde, futura iuuentus,*
*Ipſa tuum concors expetit auxilum.*
*Huic fons conſilij, huic viuendi ſemita rectè,*
*Huic tu diuini numinis inſtar eris.*

## SIT CVM NEGOTIO OTIVM, SIT CVM OTIO NEGOTIVM.

Symb. CXXIII.






## ALEXANDRO CAMPEGIO CARD. BONON. AMPLISS.

VITA EST BEATA IVSTA TEMPERATIO.

Symb. CXXIII.

*Luminibus vigilat clauſis Leo. dormit apertis,*
*Hinc ſacris cuſtos peruigil appoſitus.*
*Ac geminas valido geminus dorſo ille columnas,*
*Humana, & diuina omnia iura tenet.*
*Quiſquis aues rerum cuſtos bonus eſſe tuarum*
*Sic dormi, vt vigiles intus, & exterius.*
*In medio cum opus eſt mens alta labore quieſcit.*
*In media vigilat ſæpe quiete labor.*
*Iuſto in* ALEXANDRI *moderamine vita beata eſt,*
*Irrequieta quies abſq; labore labor.*

# IOANNI CAMPEGIO EPISCOPO BON.

SVNT GENTILITIA HÆC INSIGNIA CAMPEGIORVM.
FELIX CVI VIGILAT, PIETASQ. FIDESQ. PERENNIS.

*Campegiæ præclara vides inſignia gentis,*
*Quam multa Heroum lumina nobilitant,*
*Dextra ſemiaquila, at leua latrator Anubis*
*Abſiſtit, reliqua eſt Aurea planities.*
*Omnibus aduigilat cuſtos fidiſsimus iſte*
*Nocte, dieq; bonis, grata ſed illa Deo.*
*Immortale aurum: felix æquiq; boniq;*
*Campus, vbi & pietas floret & alma fides.*
*Fœlices, quibus hæc ſemper duo nomina ſummus*
*Iuppiter, aut virtus viuida adeſſe iubent.*

## MISERIAM HONORATAM ESSE CVRIALIVM, NEC EXPETENDAM VLLATENVS.

### Symb. CXXIIII.






## M. ANTONIO FLAMINIO.

### Symb. CXXIIII.

*QVicunq; diram perpeti poteſt famem,*
*Sitim, vigilias, frigora, æſtus feruidos,*
*Occulta odia, curas perennes, iurgia,*
*Lites, ſimultates, dolos, mendacia,*
*Fraudes, calumnias, venena, vulnera,*
*Pericla mille, mille in hora incommoda,*
*Ad hæc furores, æſtuantem gloriæ*
*Cupidinem: inſolentium arrogantiam,*
*Licentiamq; diuitum, libidinem, &*
*Turpem tenacitatem, & impudentiam,*
*Et gratiam ingratiſsimorum Principum*
*Infidam, inaneis ſpes, metus, mutabiles*
*Fortunæ iniquæ in omnibus rebus vices.*
*Porrò videre deprimi paſsim bonos*
*Contra cynædos, aleones, deſides,*
*Scurras, voraces, temulentos, perditos,*
*Fictos amicos, factioſos, inuidos*
*Hoſtes domeſticos, malignos, perfidos,*
*Ac proditores peſsimorum peſsimos,*
*Quos vel ſciens, vel inſciens, nunquam ſatis*
*Vitare poſsis. tum imperitos, impios,*

*Sicarios, adulteros, Veneficos,*
*Falſarios, leuiſſimosq́ tranſfugas*
*Et id genus homines malos, tantummodò*
*Amari, & vſq́ ad aſtra tolli, deniq́*
*Poſt mille toleratos dolores, ac neces,*
*Atq́ omne tormenti genus, grauiſſimam*
*Iacturam honoris, & laborum, & temporis,*
*Is Marce veſtram iſtam ſequatur curiam.*
*Non me profectò, non habebit æmulum.*



# LIBER QVINTVS.

# QVALEM VIRVM PRAESTARE PRINCIPEM DECET.

## Symb. CXXV.





## INCLYTO ALEXANDRO FARNESIO CARD.

## Symb. CXXV.

*PRima luce ſui roſeum quum Aurora cubile*
*Tithoni formoſa relinquit,*
*Vidi ego adhuc clauſis oculis in lumine lumen*
*Præclarum quod cætera prorſus*
*Lumina ſyderei reſtinxerat omnia olympi.*
*Vidi inquam ipſe Deam ducis inſtar*
*Vndiq; ſtipatam comitatu incedere magno,*
*Mulcere & dulci æthera cantu*
*O fortunatos mortales, inclyta vobis*
*Si modò tanti eſſet mea virtus:*
*Quanti nuper erat priſcis Heroibus illis,*
*Inter qui glandes, & aquas, &*
*Hirſutas pelles, contenti viuere paruo,*
*Vitam inopem vixere beatam.*
*Quale decus iam nunc, qualem aurea ſecla ſalutẽ*
*Vera darent, me vltrò auſpice, vobis?*
*Quando æternus amor Phœbum Phœbiq; ſororẽ,*
*Et cælum, & reliqua aſtra creauit.*
*Nata ego ſum gremio illius bonitatis in alto.*
*Virtutes almæ, atq; adeo res*

*Forti, & pulchro animo geſtæ, omnia ſunt mihi cara*
*Pignora germanæq; ſorores.*
*Mecum etenim ſunt, & de me genitæ ſimul omnes.*
*Sed tamen excellentior ipſa*
*Vna ego ſum, & magni prima admiratio cæli.*
*Quumq; magis pater ille ſupremus*
*Vos amat aſpiciens toto me conſulit vnam*
*Tunc ſtudio. ſum etenim magè cara,*
*Et magè ei ſimilis. cui quidnam ſic rogo carum,*
*Et ſimile eſt: vt proſore cunctis?*
*Ipſa ego proſum, & amo, & gratis cæleſtia dona*
*Eius diſpenſo arbitrio, qui hæc*
*Deſtinat, & nutu ſpatioſum temperat orbem,*
*In terras veniens reſeraui*
*Plutonem, vobis clauſum quondam, inq; Samo illam*
*Seruam habui, omnipatentis Olympi*
*Quæ regina potens fuerat. Sed furta, rapinæ,*
*Atq; auri ſcelerata cupido,*
*Anguibus implicitas volucres, olidamq; Mephitim*
*Traxere ab Stygia vſq; palude.*
*Vnde ſceleſto prorſus, & infecto orbe, meum illud*
*Contemptum regnum fuit: exin*
*Protinus ad ſuperos ira ſtimulante reuerti.*
*Iam nunc caro ab amante benignè*



*Exorata meo ad vos haud inuita reducor,*
*Vt vobiſcum habitem: vnius ergò*
*Aduenio, qui mortali ſub veſte beatus,*
*Atq; beans ſedet altitonanti*
*Conſimilis celſo deſcendit ab æthere, & imi*
*Viliſq; iſtius regni quotacunq;*
*Pars eſt ætherea, accepta huic vni referenda.*
*Quippè qui habet quantum æther habebat.*
*Armipotens Pallas, ſimul Citheræa caduco,*
*Ac æterno pectus honore,*
*Et vultum ornauere, manus huic repleo vtraſq;*
*Ipſa potens, prudenſq; guberno.*
*Sic igitur quicquid colere, & ſpectare ſoletis,*
*Siue à nobis defluit vltrò,*
*Siue in vobis naſcitur, omne id viuida in illum*
*Virtus, & ſors contulit anceps.*
*Inde libens alios ipſe impartitur amicè.*
*Si quando exemplum hinc caperetis,*
*Sicut opem imploratis, vulgus auare, benignam,*
*Tum vos certatim auxilium inter*
*Vos ferretis, nil fædum, nil impium, amarum*
*Vita iſthæc terreſtris haberet.*
*Vnde in continuo verſatur mæſta dolore.*
*In more, ac veſtro foret vſu*

*Quod iuuat, & prodeſt, nec habendi pluſuè, minuſuè*
*Triſtitia, aut malè ſana cupido*
*Quæ nunc vos cruciare videtur, corda ſerena*
*Turbaret veſtra, aut aliena.*
*Semper amor verax mecum regnaret, & vna*
*Pura fides. totus foret orbis*
*Lætitia plenus geniali, & pace togata.*
*Aſt illud quoq; tempus erit, cum*
*Vos reget imperio ſuaui, & virtutis auitæ*
*Auſpicio veſtræ efficiet vitæ*
*Aeternam de more ſuo per ſecula legem.*
*En byſſo, aurora, & tyrio oſtro*
*Inſignis tam formoſæ expectata diei*
*Iam huic legitur ſub fronte ſerena.*
*En fulcit cælum, & regit, en domat effera monſtra.*
*O ſanta eius, raraq; geſta,*
*O pulchram Italiam, ò felicem Tybridis urbem.*
*Nunc clarè video aurea ſecla, &*
*Magnificis veterum monimentis plena virorum*
*Omnia, quæ mare fluctiuomum ambit.*
*Vos animæ illuſtres, diæ virtutis amicæ,*
*Mecum proiectæ ad genua vltrò,*
*Vos mecum pedibus libantes oſcula ſanctis,*
*Hunc colite obſequio illicet omni.*



*Sic ait, ò Clio, & gremio de diuite nunquam*
*Non patulo, iam me quoq; ſupra*
*Cæruleum effudit felicia lilia nimbum.*
*Exinde ipſa ſuo agmine ſeſe*
*Extendit, quà orbem Sol axe ab vtroq; pererrat.*
*Aſt mihi tunc oculos reſeranti,*
*Mira & lætitia exultanti, oblata repentè eſt*
*Farneſi noua gloria magni.*

## HIERONYMO SAVLIO ARCHIEPIS. BONONIÆ PROCOS.

### Symb. CXXVI.





NEMO ABSQ. TEMPERANTIA A DIVINA OPE RITE IMPETRATA, PROFICI PVTET SIBI.

### Symb. CXXVI.

*Nemo Academia ſine me dignabitur vnquam,*
*Pura heic ſecuri eſt temperies animi.*
*Heic ſtudioſa cohors diſcet ſapere intus & extrà,*
*Dum ſciat vt toto ſit magè dimidium.*
*Verùm difficile id demens facit impetus. at quid*
*Auſpice diuino numine difficile?*
*Quare illud ritè implorabit ſemper, honeſtis*
*Moribus intendens & ſtudijs animum.*
*Quod facis ipſe, ideo ſperamus ſumma bonorum*
*Omnia* SAVLI *omnes de bonitate tua.*
*Ergò Academia poſthac dignabere noſtra*
*Noſq; tuis memores iam facies meritis.*

## VIRTVTIS ET FELICITATIS FORMVLA.

### Symb. CXXVII.






## ALEXANDRO MAGIOLO.

### Symb. CXXVII.

*MAgiole vtilitas ſi nobis ædificandi*
*Siue medendi artes, alias commendat & omneis*
*Iure bono ars debet nulli non illa placere,*
*Deſcriptas certo quæ cõtinet ordine formas (eſt,*
*Virtutum, ſiquidem uitæ haud minus vtilis hæc*
*Quàm quæcunque alia humanæ. & ſi talia noſti*
*Experiar tamen vt potero parere tibi nunc, (ſus*
*Quo mãdante aliquid mihi nec quod neſcio pror*
*Fas neſcire puto, neque non quod non queo poſſe.*
*Principio diſcentum animos hæc vita ab agreſti,*
*Ac fera ad humanum cultum, et ciuilia paſſim*
*Officia incenſos miro deducit amore.*
*Quiſquis enim ipſius ſpecies cognoſcit honeſti,*
*Has velut in tabula propius, meliuſque tuetur*
*Depictas, quàm vulgus iners, indoctaque turba,*
*Propterea magè ad officia is præſtãda mouetur,*
*Nanque abeũt ſtudia in mores, habituſque perennãt.*
*Porrò fundatis ſtabilitiſque vrbibus olim*
*Qua doctrina orta eſt legum venerãda poteſtas,*
*Publica iudicia, et Ratio, quæ cuncta gubernat?*
*Qua magè diſciplina ipſi quibus vtimur, iſta*

*Mm* 2

Tempeſtate, boni ſcriptores, iure in vtroq;
Imbuti fuerunt? Quid quæris? cuncta ſeueri
Iuris prima elementa, & ſemina flexilis æqui,
Ocia digna viris, tum vrbana negocia quæq;
Accepta huic arti diuinæ ſunt referenda.
Præterea herbarum vires, Libycoſuè lapillos,
Aut veterum cœlo Phœnicum inuenta ſereno,
Si laus eſt cuiquam non vltima noſcere, quanta
Laus fuerit naturam hominis, quæq; optima in illa
Emineant vidiſſe, & quò ratio vocet alma
Aut ducat, penituſq; ipſos cognoſcere noſmet?
Quid frutices, gemmas, magnumq; inquirere cælum
Profuit, & dulcem non exaudire parentis
Naturæ vocem interea, monituſq; ſalubres
Præmonſtrantis iter benè viuendi, atq; beatè?
Dormitare domi, atq; foris ſapere id fuit olim.
Aſt vbi Socratico auſpicio ſapientia ad vſum
Communem æthereo nobis demiſſa ab olympo eſt,
Vnde videre licet quoſdam motus animorum,
Et quædam cunctis mortalibus inſita ſenſa,
Quæ recta oſtendunt ciuilis commoda vitæ.
Tū demum cœpere homines ſapere intus & extra.
Quin ſi hæc cognitio nihil vtilitatis haberet,
Ipſa tamen genere humano digniſſima longè, &



Optima debebat cenſeri, ac maxima: nam quid
Tota in Natura rerum præſtantius extat,
Aut melius, veri quàm perſpicientia honeſti?
Cuius ſi noſtris ſimulachrum haurire liceret
Luminibus, quales animis incenderet ignes?
O quanto illius deſyderio afficeremur?
Nulla magis capiunt noſtras ſpectacula menteis
Ac virtus, ipſam propius ſi cernere ſit fas.
Iam verò noſtris ſi mentibus anticipatæ, &
Innatæ agnitiones ſunt cæleſtia dona,
Nos ea, ne immemores videamur temnere, tantò
Acrius ad cognoſcendum inuitarier omnes
Debemus, cum nulla homini maiora ſupremus
Munera contulerit ſummi regnator olympi.
Tu verò quæ ſponte facis Magiole, memento
Perficere egregij monimenta æterna laboris.
Nanq; oſtrum vt melius collato noſcitur oſtro,
Sic precium eſt operæ veterum conferre ſophorum
Doctrinam eximia ad pietatis dogmata noſtræ:
Nec miſcere tamen, quippè hanc diſcernere ab illa
Haud poterit, niſi qui, ceu tu, bene norit vtranq;.

# ADVERSVS IRAM SYMBOLVM.

MOS EST NOCENTVM LÆDERE INNOCENTIAM.

Symb. CXXVIII.





AGNI INNOCENTIS VINDICI INTEGERRIMO
IVRE HOC DICATVR REGINALDO NERLIO.

Symb. CXXVIII.

*Dignum quid ira exiſtimari eſt par. niſi*
*Quo lædimur? proindè cum potiſſima*
*Sit noſter animus ipſe noſtri portio,*
*Præſtare quo cenſemur vno cæteris*
*Animantibus, quæcunq; ſine animi queunt*
*Offenſione adimi. ea verò temnere*
*Debemus, ad nos vt nihil ſpectantia,*
*Damno nec vllo vnquàm putemus affici*
*Nos, ſiuè fortunæ bonorum lubricæ*
*Ablatione, ſiuè grauibus corporis*
*Incommodis, doloribusuè acerrimis.*
*O qui ſecundus es Adamus,* CHRISTE *optime,*
*Qui conditus ad imaginem terreni es, at*
*Cæleſtis ipſe, iudicium id omne auferas*
*Quod noxa nobis omnibus primi indidit*
*Parentis olim. da obſecro tu vim integram,*
*Puramq; noſtris iudicandi cordibus.*
*Lædi innocentiam vt malum grauiſſimum,*
*Iraq; iudicemus id digniſſimum.*
*Nobis tuæ inuictæ illius conſtantiæ*
*Robur da, ut hoſtes diligamus inuicem*
*Noſtros: crucemq; humaniter tecum ſimul*
*Feramus almæ ſub crucis ſigno tuæ.*

## Vsvm magistrvm vnvm optimvm.

### Symb. CXXIX.






## IOANNI BAPTISTAE PIO.

### ET DECVS ET PRETIVM RECTE FERT EXPERIENS VIR.

### Symb. CXXIX.

*Qvi nuncupari haud immeritò Pie*
*In rebus humanis ſapiens cupit,*
*Non diſciplinis ſat vacare eſt*
*Rhetoricis, Dialecticiſuè,*
*Verùm diù verſari etiam eſt opus*
*Illum, diù exercerier omnibus*
*Conſtanter in rebus videndis*
*Cominus, atq; periclitandis,*
*Atq; omnia acta, euentaq; firmiter,*
*Dum viuit, alti ſub penetralibus*
*Seruare cordis, tum ſecundis*
*Temporibus, dubijsq; ſemper*
*Rectum eſſe, & ex ijs, quæ docuit ſagax*
*Vſus magiſter, quæq; pericula*

Ipſa ante monſtrarunt, perindè
Conſulere, ac ſapere eſt neceſſe.
Quicunque enim ſcit facta per omnia,
Et dicta prudens ingredier, diù
Secum reuoluens cuncta, ſiuè
Sole dies referatur orto,
Seu nigro opacum nox Erebo caput
Obſcura profert, haud facilè is poteſt
Inducier, quin expetenda,
Aut fugienda repentè norit.
Hinc nomen adſciuere ſibi patres
Illi priores, & meritò Sophi
Dicti. hinc decus, famamq; adeptus
Pythagoras Samius perennem,
Qui præter Aegyptum, & Babylonias
Luſtrauit oras, & Lacedæmona,
Perſasq;, minoamq; Cretam,
Atq; ſalutiferam Crotonem.
Vix docto Homeri ad ſydera carmine
Elatus eſſet Siſiphides, niſi



Vidiſſet vrbes plurimorum &
Acta hominum, variosq; mores.
Indè optimè ipſius ſapientiæ
Uſum parentem, & Mnemoſynen ferunt.
Nam longa quid non præſtat omni
EXPERIENTIA MAIOR ARTE?

# SVMMVM BONVM PRAESTAT FIDES, FIDEM INTIMVS AMOR IN DEVM, RITE IPSE CVLTVS OMNIA.

## Symb. CXXX.






# ANDREAE CASALIO SENATORI BONONIENSI.

SVMMA PETAT QVICVNQ. BONVM SVMMVM EXPETIT VLTRO.

## Symb. CXXX.

*Diuinum nobis animum generoſe Caſali,*
*Quandoquidem diuina cupit, ſat conſtat ineſſe,*
*Si benè ſeſe ipſum cernat: veruntamen illa*
*Haud quaquàm apprẽdit, dũ q̃ cognata ſibi ſunt;*
*Hoc eſt, aut ſenſus, & ſenſilia aſpicit, aut quas*
*Concipiunt animæ formas ſæpe horum obiectu.*
*Nanq; à diuinis procul hæc ſunt omnia rebus.*
*Nec diuerſa magis tenebroſi frigida Ditis*
*Tartara, & aſtriferi flãmantia mœnia Mũdi,*
*Hinc animus diſcedens à ſe cogitur olim*
*Errare, ac malè de ſuperis ſentire loquiq;.*
*Verum igitur quicunq; bonum comprehendere prudẽs*
*Optat, eoq; aliquandò frui, terrena relinquat*
*Summa petens, ſummo ſtudio, ſummoq; labore,*
*Sed prius inſtituenda inueſtigatio rectè.*
*Nam niſi ter purum per certa piacula quis ſe,*

*Per certas leges diſcendi reddidit, ab mox*
*Ingreditur ſceleriſq; viam, infandumq; furorem*
*Vſq; adeo, vt vel perneget eſſe Deũ omnipotentẽ,*
*Vel de illo falſa affirmet, vera vnde repentè*
*Relligio perit, & cunctorum elementa bonorum,*
*Contra luxuriat ſubitò genus omne malorum.*
*Inde iubent omnes ſemper procul eſſe profanos*
*Fatidici vates, totiſq; abſiſtere ſacris*
*Haud ab re. ſiquidem malè ſana affectio ſtulti*
*Exagitans animos vulgi contraria prorſus*
*Diſtrahit in ſtudia, & rapit ad tetramq; grauẽq;*
*Materiam, atq; Deo miſeros alienat ab alto,*
*Quo nihil eſt immobilius, nil fortius vno,*
*Nil à materia quicquàm ſemotius ipſa.*
*Quin pote nil intelligier minus, aut finiri*
*Humani captu ingenij, ratione, modòve*
*Nam ad finita infinito proportio nulla.*
*Hunc autem licet intellectus noſter agendo*
*Conſequier nequeat, tamen interdum patiundo:*
*Luminis æterni authore aſpirante benigno*
*Aſſequitur, dum mens ſe colligat vndiq; totam*
*In caput ipſa ſuum: qui flos pulcherrimus, atq;*
*Intima vis animæ fertur, centrumq; profundum.*



*Tunc diuinæ illius ſimplicitatis imago*
*Exprimitur, ſolo quæ nutu cuncta gubernat:*
*Quæ nos ſole ſuo à nebulis, & carcere cæco*
*Vindicat incenſos vitæ immortalis amore.*
*Heic vbi mira pijs plærunq; arcana reuelat,*
*Sed nunquàm eſt fas illa loqui mortalibus ægris.*
*Propterea noſtris ſapientes myſtica cenſent*
*Inuentis nunquàm referenda accepta, ſed almæ*
*Lucis inexhauſto ſub pectora mũda vigori (theus*
*Cælitus infuſo. Hinc homines animaſſe Prome*
*Igne domo æthereа ſubducto fingitur audax*
*Palladis auſpicio. ſine qua frigeſcimus omnes*
*Nilq; ſumus, præter graue cœnũ, et inutile põdus.*
*Pallas enim ſummi eſt ſapientia dicta Tonantis,*
*Cui nos conciliat perculſos corda ſua ui.*
*Quare diuinas quum res ſine luce ſuprema*
*Per ſe nulla queat ſpeculari humana facultas,*
*Nedum verbis exprimere, aut cõmittere chartis,*
*Semper eo de his conſilio pia turba loquamur,*
*Scribamuſq; uiciſſim, non quo oſtendere poſſe*
*Quæ nulla oſtendi poſſunt ratione, ſed olim*
*Speremus magis exhortari, animoſq; parare,*
*Atq; ſtatum ſenſim perducere mentis ad illum,*

*Cui tandem ex alto domus omnipatentis olympi*
*Panditur, & mundo fas eſt meliore potiri.*
*O vanas hominum curas, ò pectora cæca*
*Queis potior rerum veſana ſcientia, & acris*
*Ingenij meditatio, quàm tranquilla, quieta,*
*Sancta fides. Atqui hãc iampridẽ iuſsit habendã*
*Ore ſuo verbum, Ratio, Sapientia vera,*
*Synceriq; oblata ſibi penetralia cordis*
*Commendanda, & in hoc præcluſis ſenſibus vno*
*Gnauiter hærendum, vt dubio procul eſse beatos*
*Credamus quicunq; patri confidere magno*
*Conſtituunt, totisq; illum peramare medullis.*
*Sic nihil obſcurum nobis, nam dia repente*
*Lux oritur, tenebras omneis quæ noctis opacæ*
*Diſcutit, & cauſsarum dat cognoſcere cauſsam.*
*Cuius ab æterno perfecta ſcientia fonte,*
*Gratia, certa ſalus, pax, virtus, gloria, vita,*
*Aurea libertas, immenſaq; gaudia manant.*
*Tantum iuſta fides habet ex ſe ſe vna bonorum.*
*Salue igitur veneranda altæ Pietatis alumna,*
*Qua ſine nec tutũ eſse poteſt, nec amabile quicq;.*
*Te colimus. noſtris præſens adlabere cœptis*
*Inclyta. nanq; boni dona immortalia ſummi*



*Solus homo per te quam primum intelligit, optat,*
*Poſsidet, ijs fruitur. Solus generi omni animantiũ*
*Mõtibus, & pelago, et cœleſtibus imperat aſtris.*

## INEPTIIS HOMINVM VORATIS VNICA INTELLIGENDA VERITAS.

## Symb. CXXXI.






## AMPLISS. CARD. OTHONI EPISCOPO AVGVSTEN.

## AVGVSTA PASTORIS BONI PRVDENTIÆ, ET BENIGNITATIS NOTIO.

## Symb. CXXXI.

*Est Platalea, vocat* πελέκανον *Græcia, conchas*
*Illa auis, vt fama eſt, deuorat æquoreas,*
*Quas vbi concoxit rurſum euomit, vt facilè ipſas*
*Diſcuneet. poſt hinc veſcitur elicitas.*
*Stultitias hominum ſapiens patienter ineptas*
*Sic vorat, atq; imo digerit in ſtomacho.*
*Tum digeſta vomens verum elicit, inde potitus*
*Hoc fruitur, veluti nectare, & ambroſia.*
*Sic ſe habet Auguſti prudentia maxima Othonis,*
*Virtus, & bonitas, iuſtitiæq; ſoror.*
*Quin conſtans pietas, & amor ſibi neſcius ipſi*
*Parcere, quod volucris myſtica ſignificat.*
*Pullos illa ſuos, monſtrum mirabile dictu,*
*Aſpera quos ſerpens fortè necare ſolet,*
*Ab latere incuſſo, atq; inſperſo ſanguine nidis*
*Dicitur in vitam reſtituiſſe ſuo.*
*Diſcite mortales Plataleæ nobile poſthac*
*Exemplum Auguſta de pietate legi.*
*Hac quicunq; frui cupit, alto diligat illum*
*Pectore, cui ſatis eſt verus, & vnus amor.*
*Lucifer hinc nobis clariſſimus ille coruſcat,*
*Diuini indè pios aura beat zephyri.*

## MENS ORBEM ILLVSTRAT, RETINET SAPIENTIA MENTEM.

### Symb. CXXXII.





## ROMVLO AMASAEO.

HÆC EST LVCERNA PENSILIS FARNESII.

### Symb. CXXXII.

*Effigiem mentis, qua nil diuinius eſſe*
*Nemo neget niſi vecors, eia age fingere iam nunc*
*Aggredior, quoniã ſic tu mihi Romule mandas.*
*Aſpice quam noſtri ſit magna potentia amoris*
*Qui me velle etiam quæuis duriſſima cogit,*
*Nec quæ non poſſum mihi vult non poſſe licere.*
*Adſis Calliope tanto duce, & auſpice amico,*
*Cui te iure bono multùm debere fateris.*
*Sic faueat ſemper votis Farneſius Heros*
*Ipſe tuis, & materiam ſegetemq; canendi*
*Det tibi quod facere inſtituit, nec deſinet unquàm:*
*Tanta eſt diuinæ illius conſtantia mentis.*
*Aurea fortuna hinc, quæ regia dicitur: illinc*
*Alma ſuo inſiſtens prædiuite copia cornu*
*Stat complexa globum mundi, quem ſuſtinet illa*
*Cæleſti demiſſa manu miranda catena*
*Aurea Mæonij nunquàm interitura poetæ.*

*Accenſa in medio centri quadrata lucerna*
*Penſilis ipſa ſuo librans ſe pondere cyclis*
*Septa tribus; tum diſpoſitis ſex axibus aptè,*
*Et facilè vſque volubilis vndique, nec tamen olim*
*Non erecta, licet vehementer ſæpe agitato*
*Exterius quatefacta globo manet, & ſibi conſtat,*
*Immenſa replens mundum luce intus, & extra,*
*Et mage comprehēdit quàm cōprehēdatur ab illo.*
*Tum repetens flāmis rutilātibus æthera, tanquàm*
*Incenſura manum, pendens fulua vndè cathena*
*Illam cauſſarum ſeriem notat immortalem,*
*Per quam principium, non immemor ipſa ſui mēs*
*Finemque agnoſcens miro inflammatur amore, &*
*Aſtra ſuper celeri lapſu volat ardua, nanque*
*Igneus eſt olli vigor, & cœleſtis origo.*
*Attamen interea vero nil ſecius vni*
*Puncto hæret medio, orbiculis circundata ternis.*
*Conſulit interius ratio, dein ſceptra voluntas*
*Imperioſa tenet; memor hinc cuſtodia rerum*
*Exterius vigilat, mox vt depromere poſsit*
*Theſauros, olim in varios quos condidit vſus.*
*Nec mētē illa regūt potius, quàm à mente regūtur.*



*Emicat in tenebris lux pura, atque omnia ſecum*
*Fert ſua, ſex innixa polis ſic vertitur, vnquam*
*Subuerti vt nequeat. grauitas id ponderis ipſa*
*Efficit, ima petens, facile vt virtute ſuapte*
*Mens valeat ſuperas animoſa euadere ad auras.*
*Quid memorem quàm mirifica ſenarius eſſe*
*Vi numerus fertur? nonne hoc mundi genitura*
*Eſt confecta? ſimulque tener concreuerat orbis?*
*Nōne huic eſt incluſa Monas? quæ myſtica ſacræ*
*Perficit hebdomadis connubia? Nempè ita quōdā*
*Panthoides Samius numerum laudauerat illum,*
*Nanque ſuis iuxta poſitis de partibus ipſe*
*Gignitur, & ſimilem reddit genitum genitori.*
*Nonne idem facit, ut nunquam mens exeat ex ſe.*
*Vtque ſibi inſiſtens luſtret radioſa iacenteis*
*Lampade inexhauſta terras camposque liquentes.*
*Et uolucres auras, atque ultima mœnia mundi?*
*Hinc totidem noſtro iam cærula lilia ſeclo*
*Florent, atque aura zephyri aſpirante benigna*
*Diuini: florent pariter ſapientia, uirtus,*
*Pax, Aſtræa, fides, & pleno copia cornu.*

*Ergo ſi me audire voles non plura aliunde*
*Symbola præterea mentis quærenda, ſed vnum*
*Id mecum ſtatues propriũ, quod & ante rogabat*
*Inclyti Alexandri Farneſi nomine, quodq́;*
*Purgatam mihi perſonuit Latonius aurem.*
*Nam quæ forma poteſt effingi expreſſior eius,*
*Quam non percipere eſt oculis, non auribus, vllo*
*Deniq; nec ſenſu? tantum, mirabile dictu,*
*Mente licet pura puram comprehendere mentem.*
*Signum optas? Ecquid pote ſignificantius eſſe*
*Quàm viuentis Alexandri maioris imago?*
*Quare huius poſitã effigiẽ ante oculos habeamus,*
*Siuè manu expictam Bonarottæ, ſeu Titiani,*
*Siuè tuo potius calamo, quam nulla vetuſtas*
*Deleat ex animi penetralibus. hinc erit olim*
*Cernere quid valeat grauitas, conſtantia, ſancta*
*Integritas, firmum & caſto ſub pectore robur*
*Deniq; quid virtus, quæ in tempeſtate quieta,*
*In tenebris lucet, tum pulſa loco tamen hæret,*
*Et manet in vera ſummi pietate Tonantis.*
*Nunquàm per ſeſe non ſplendet, nunquàm alienis*



*Sordibus obſolet. hoc quicunq; negat, neget idem*
*Vſq; licet lucere die ſolem æthere in alto.*

## NEC VIXIT MALE QVI NATVS, MORIENSQ. FEFELLIT.

### Symb. CXXXIII.






## ROMVLO AMSAEO.

ΛΑΘΕ ΒΙΩΣΑΣ.

### Symb. CXXXIII.

*Conſilium, quod nulla queat vis frangere, iniui*
*Romule iampridē, latebras mihi quærere, et antra*
*Auia conſtitui, contentus viuere paruo,*
*Securumq́; ſequi dulcis genus id mage vitæ,*
*Quàm cum tot, tantisq́; laboribus, atq; periclis,*
*Vel terrarum orbis totius ſceptra tenere.*
*Nanq; parùm facio, ne tantillum quidem, honores*
*Hoſce fugaceis, quos vulgus miratur, & optat,*
*Quandoquidem inuidiæ morbo, curiſq́; videntur*
*Sollicitis, penitusq́; malis eſſe vndiq; pleni.*
*Nec me cunctorum coget pater ille malorum*
*Plutus opes inhiare ſuas, & inania regna,*
*Plutus, quem ſpinis confert ſapienter acutis*
*Oraclum ſemper verax, nam pungit habentum*
*Infima ſexcentis agitans præcordia curis,*
*Nec pungit modò, ſed miſeris corda intima rodit:*
*Nec prodeſſe ſinit potus alimenta, cibiuè,*
*Nec feſſa irriguo perfundi membra ſopore.*
*Vita breuis docet omneis ſpes præcidere inanes,*

Quæq; meas ſuperant vires, ac mille pericla
Omnibus intendunt horis. Verum quia nemo
Tempore perpetuo heic manſuram poſſidet Vrbem,
Quærenda haud dubiè eſt nobis illa illa perennis,
Quã nunquã aſſequitur qui mũdi huiuſce doloſis
Se ſemel illecebris permiſerit irretiri.
Vni igitur, veroq; Deo ſeruire, nec Vlli
Præterea ſtatuo. eſt etenim verus Deus vnus.
At contra falſi reliqui omnes prorſus, humiq;
Serpentes, genuit quos noxæ deditus olim
Fatali pater infelix ab origine prima.
Ac nullum excipio, vt magnus, paruusuè ſit ille.
Ter vero execrandus, & amplius eſſe putatur
Diuinis niſi ſi ſcriptis nil credimus, is qui
Perquirit toto mortalia pectore demens,
Quiq; ſuas homine in ſolo ſpes collocat omnes.
Quare etiam, atq; etiam fateor, ſemperq; fatebor
Tantum Vni ſeruire Deo me conſtituiſſe.
Hei mihi quàm multum effluxit præterq; volauit
Temporis incaſſum? ſed id irreparabile cum ſit,
Quid faciam? ſerò, quod dicitur, eſt ſatius quàm
Non vnquàm ſapere. ob commiſſa piacula tecum
Si doleas: uitia & uitans, benè ſemper agendi
Firmũ habeas poſthac animũ: tum gratia magni



Sat tibi ſola Dei fuerit: qui tempore in ipſo
Poſtremis eadem quæ primis munera donat.
Hunc igitur primum colere, hunc uehementer amare
Tota ex mente uolo, ex anima, ex penetralibus imi
Cordis. cumq; ualere ſcius iam dixero multis,
Quæ prius admirabar, tanquàm maxima, prorſus
Abijciam, meq; huic, ſic ſtat ſententia, dedam.
Hanc mihi propoſui certam, faxis modo Chriſte
Decurſo poſſim ſpatio contingere, metam.
Spei uerò, pietatis, & alti factus Amoris
Muneribus locuples, inimicos æquè, & amicos
Diligere, exemploq; tuo facere ijs benè ſemper,
Cumq; bonis pacatam, & honeſtis degere uitam,
Forti animo, quæcunq; dedit Deus, omnia ferre.
Deniq; cœleſti ex auro expectare coronam,
Qua redimere pios ſe uelle æterna poteſtas
Pollicita eſt, uana nec ſpe fruſtratur amantes.
Plutus hic eſt uerus. qui maximus, optimus unus
Autor inexhauſtæ lucis largitur honores
Aeternos, & opes ueras, uitamq; beatam.
Non ueluti Stygius ſcelerum ſator ille tyrannus
Qui falſas oſtentat opes, oſtentat honores,
Dum parat exitium ſtultis, noctemq; profundam.
Ad ſummam falsò cæcis bona credita uitæ.

*Quippè hominũ ijs fruitur uita, aurum, gloria, Mun-*
*Quæ tanti plæriq; ſolent facere, omnia planè, (dus,*
*Omnia planè inquàm à uita diſiuncta ſuperna,*
*Nil propè ſunt aliud, quàm puluis, inanis et umbra,*
*Luctus atrox, nugæq; meræ, & lachrymabile lætũ.*

## QVAM SE SE CVNQ. IN PARTEM SAPIENS DEDERIT, STAT.

### Symb. CXXXIIII.





## IOANNI BAPTISTAE CAMOTEO.

### Symb. CXXXIIII.

*Eximiam noſtri Camotei Diua figuram*
*Fare age. nã incertus ſum, an ſit dicenda tricuſpis,*
*An quadricuſpis? enimuero ſic voluitur ipſa*
*Quattuor in partes, tres imæ ut ſemper earum*
*Defigantur humi: à reliquis ſeiunctior vna*
*Terq́ quaterq́ beata petat ſublimis olympum.*
*Quales, & quantas habeat Trias vnica vires*
*Indicat omnipotens Monas, olim Pythagoreis*
*Cognita, qui rerum primordia quattuor omnium.*
*Eſſe rati numeros, ſtatuunt ante omnia primum*
*Ens vnum fieri, ſic omnia reſpicere vnum*
*Poſſe, nec vlla alia prorſus ratione, modoue.*
*Adde quod ad triada eſt monadis proportio mira.*
*Nonne vides hominem cœlum ſpectare, ſuumq́*
*Principium, ſurrecta facit quod Pyramis illa?*
*Iam noua acuminibus ſurgit proportio in ipſis*
*Quattuor, en totidem tibi ſtant fundamina earũ.*
*Quæ vero dici potè conuenientior eſſe?*
*Sicut enim in trinas acies cadit alma figura hæc,*

Qq

Vna ita quæq; trium laterum patet inclyta cuſpis.
Hæc eadem eſt ſemper talis ſapientia vera,
Quancunq; in partem incumbat feliciter vltrò
Ipſa ſibi conſtat, nec tempore corruit vllo.
Quid magis æternum ſignat, quàm Pyramidata
Illa, triũ & laterũ forma ignẽ quæ alta patentem
Aſſequitur, decima & vi diſsipat vndiq; frangens
Omnia, conſumens volat, & rapit omnia ſurſum.
Eſt illi perpendiculum rectiſsima cuſpis,
Et medium ex æquo quæ linea diuidit orbem,
Quem paribus diſtans circummeat interuallis.
Ad Summam nil non æquale eſt ſchemate in ipſo.
Quattuor ex medio ſerpentes orbe figuræ,
Quos proferre vides caput, hæc ſapientia, rerum et
Optima cunctarum menſura, caput Iouis illi
Cauſſa ortus fuit. haud fœdisſima corporis vlla
Pars alia, ore hiſcunt, indè vt ſapientia ſeſe
Efferat eloquio, noceat nulli, omnibus adſit.
Vtitur his Pallas tritonia ſæpius armis.
Ferrea machinula infeſtis quadrangula fingens
Cuſpidibus, quam ſe cunq; in partem dederit, ſtat.
Nomine qui latio murex, tribulusq; pelaſgo



Dicitur, occultè arcendos hanc ſpargere in hoſtes
Mos fuerat. Dolus an virtus quis in hoſte requirat?

PRÆ SE FERENS LIBRVM LEO
ALATVS ILLE QVID NOTET:
HOC NANQ. VENETVM EST SYMBOLVM.

## Symb. CXXXV.






## DIVO MARCO, ET REIPVB. VENETAE.

PAX TVTA EST SEMPER AVSPICE IVSTITIA.

## Symb. CXXXV.

*MAgnanimus furor eſt, ira & generoſa Leonis,*
*Tum caput eſt ingens, lumina flammifera,*
*Eſt corpus teres, eſt iuba fulua, ſimillima Phœbo*
*Omnia. ſic Pharius credidit Harpocrates,*
*Aegyptusq; parens rerum, conſueta Leonem*
*Semper Apollineo pingere ſub ſolio.*
*Perfectam Venetum hæc inſignia myſtica ſignant*
*Imperij ſpeciem, mirificumq; decus.*
*Nam quis Marce librum placidæ tibi Pacis apertũ,*
*Iuſtitiæ niſi ſol: antetuliſſe dedit?*
*Ille pedem dedit in terris te ponere, & alto,*
*Ille ingens iuſſit te caput eſſe pijs.*
*Regnare, & paci tranquillum imponere morem.*
*Debellare malos, parcere ſupplicibus.*
*Lumine flammifero, atq; alis ſuper aſtra volare:*
*Cuſtodem Adriaco peruigilare mari.*
*Hic vbi præcipua Auſoniæ ſunt clauſtra potentis,*
*In qua Relligio ſceptra beata tenet.*
*Corporis hinc robur teretis, ſpecioſaq; forma,*
*Hinc iubaris ſplendor flammicomi exoritur.*
*Auſpice Iuſtitia, tua Pax, Leo maxime, pacem*
*Secu ram nobis, perpetuamq; facit.*

## SCENÆ, QVOD AIVNT, SERVIENDVM, ET TEMPORI.

### Symb. CXXXVI.






## ROMVLO AMASAEO AMICORVM OPTIMO.

### Symb. CXXXVI.

*Qvod tempori, & ſcenæ putes mi Romule*
*Nunc ſeruiendum, maximè*
*Laudo, & probo: nec eſt, quod inconſtantiæ*
*Crimen timendum ſit tibi,*
*Si permanere priſtina in ſententia*
*Certum eſt, vt inquis, amplius*
*Te nolle, mutato omnium rerum ſtatu:*
*Prudens es herclè, qui optimè*
*Sciſti foro vti. non enim vnquàm eſt publica*
*In re gubernanda viris*
*Præſtantibus laudata flecti neſcia*
*Mens, perpetuauè immobili*
*Vna modò in ſententia permanſio. at*
*In nauigando vt obſequi*
*Sæuiſsimis plerunq; tempeſtatibus*
*Eſt artis, etiam ſi interim*

Portum occupare non queas: ꝟeruntamen
 Cum fortè cautus ſenſeris
Te poſſe ꝟelificatione protinus
 Mutata id aſſequi, nimis
Stultum eſt, eum tenere cum periculo,
 Quem cœperis curſum ſemel
Potius, quàm eo mutato in ipſo tempore
 Mox peruenire quò ꝟelis.
Sic cum adminiſtranda iam in hac Republica
 Proponere in præſentia
Nobis honeſtum debeamus otium,
 Haud quaquàm idem ſemper loqui,
At ſemper omnes ſedulo ſpectare idem
 Debemus illud, quod benè
Elegimus: quandò in negocio ſine
 Periculo ꝟerſarier
Non poſſumus. Quare optimè & ſententiam
 Tuam, & ꝟoluntatem, ꝟt reor,
Mutaſti. enimuero iubet id Plato
 Diuinus ille, quem ſequor



Autorem, & in primis colo, tantummodò
 Contendere in Republica,
Quantum tuis probare poſſis ciuibus.
 Vim per ſcelus nefarium,
Manu impia, nunquam parentibus, neq́;
 Ipſi afferendam patriæ.

ARS RHETOR. TRIPLEX MOVET, IVVAT, DOCET,
SED PRÆPOTENS EST VERITAS DIVINITVS.
SIC MONSTRA VITIOR. DOMAT PRVDENTIA.

## Symb. CXXXVII.





## IOANNI BAPTISTAE CAMOTEO.

## Symb. CXXXVII.

*MAndas Chimeræ enucleari ſymbolum,*
*Rectè id quidem: nam Muſa vatis maximi*
*Molita nunquam quicquã ineptè eſt. Verũ ego*
*Fortaſſe ineptus ſus Mineruam, vt dicitur.*
*Vtcunq; fas erit, tibi obſequar tamen.*
*Sunt qui indicari treis velint partes, quibus*
*Diues facultas conſtat omnis Rhetorum,*
*Siuè in foro, ac ſubſellijs cauſſas agant,*
*Siuè meditentur roſtra, ſiuè curiam.*
*Forenſe enim horridus Leo notat genus:*
*Nam exterret, ac elinguat aduerſarios.*
*Sed capra: ideſt, Chimera ipſa, obtinet typum*
*Plauſibilis laudationis: lætius*
*Laſciuit etenim orator ore, vt auribus*
*Auditor. At quod conſulit, draconis eſt*
*Perſimile varij, ac flexuoſi anfractibus.*
*Matrem Poetæ monſtri Echidnam huius ferunt,*
ποικίλον εἶναι νοῦν τε πολυειδῆτε, *ideſt*
*Variam admodum, atq; multiformem viuidæ*
*Vim mentis eſſe: qua nihil potentius.*
*Indè orta fertur artifex audacia*
*Mortalium in vetitum nefas ruentium, &*
*Vomentium ore fulgura, & tonitrua*
*Imitantium Iouis ſupremi, & Dædalæ*
*Rerum creatricis voluptates ſimul.*

SVMMA OMNIA TENET, SCIRE QVI SCIT SE NIHIL.

Symb. CXXXVIII.






IOANNI HANGESTO EPISCOPO NOVIODVNENSI.

Symb. CXXXVIII.

*Ivre nomiſma tuum ſibi poſcunt Symbola noſtra,*
*Dulce, Hangenſte, decus, preſidiumq; meum.*
*Nobis tu digitum fontes intendis ad ipſos,*
*Stratus humi, pandens brachia, ſumma tenes.*
*Omnia ſunt etenim tendenti ad ſumma tenenda,*
*Scire nihil qui ſcit ſe, omnia ſumma tenet.*
*Sic ſe ſuppoſuit placidi conuiua Molorchi,*
*Ardua cum feſſus ſydera fulſit Atlas.*
*Sic docuit quondam Actæo nutritus Hymetto,*
*Oraclo ſapiens dictus Apollineo.*
*I modò, ſcire tibi attribuas ſtultè omnia, ni iam*
*Stratus humi diſcas te quoq; ſcire nihil.*

## CONTEMPTIO MORTIS, METV COR LIBERAT.

### Symb. CXXXIX.






## FRANCISCO CAMPANO COLLENSI.

### Symb. CXXXIX.

*CAmpane, me nunc ſi, quid agam, roges*
*Dicam. Hoc tam acerbo tempore, quo meum*
*Chariſſimum amiſi parentem,*
*Quo patria, teneriſq́ amicis*
*Te maxime vno, quem ante alios amo*
*Dira vt carerem peſtilitas nimis*
*Diu coegit, vitam amaris*
*In lacrymis traherem miſellam*
*Ni præſto adeſſet conſilio graui*
*Diuinus Arpinas meus, ac ſuis*
*Me perditè ægrum recrearet*
*Colloquijs ita diſſerendo.*
*M. Mortale quicquam ſi ſaperet genus,*
*Mortem vel optare inciperet, vel hanc*
*Deſiſteret ſaltem timere,*
*Dogmate Socratico vt monemur,*
*Nam quid poteſt optabilius dari,*
*Noſtris ſupremus ſi ille animis dies*
*Mutationem affert loci, non*
*Interitum, omniauè auferentem*
*Extinctionem? Sin perimit ſtatim*
*Ac delet omnino, an melius putas*

Quicquam eſſe nobis quam repente
In medijs miſeræ: & caducæ
Vitæ huius obdormire laboribus,
Somnoq; conniuentia lumina
Mox consoporari perenni,
Unde mala omnia finiantur?

A. Ergò miſer non interitum mei
Flebo parentis; quo mihi carior
Nemo fuit? M. Quin temperare
A lachrymis, penitusq; edaci
Debes dolori parcere. fata enim
Sic lege ſanxere irreuocabili,
Aucta ut ſeneſcant, occidantq;
Serius, ocyus orta quæq;.

A. His maximas ipſum memini Patrem
Extremo agentem tempore gratias
Vultu ſereno prætuliſſe
Lætitiam, ac ſibi gratulantem,
Quippè ille felix iam appeteret dies
Quo liberum ſe cerneret è graui
Custodia emitti, atq; vinclis
Corporeis ſubito leuari.
O verba ſemper fixa animo meo.

M. Ergo vltimum illum nos etiam, vt decet,
Nobis diem fauſtum putemus,



Qui ſolet horribilis videri
Vulgò imperitis. Quin nihil in malis
Ducamus vnquàm, quod Deo ab optimo
Sit constitutum. nanq; fruſtra
Si nihil ille opifex ſupremus,
Siue omnium natura parens facit
Quis fortuitò, quis temerè ſatos
Nos, & creatos arbitretur?
Nemo quidem, niſi mentis expers.
Sed vis profectò, crede mihi, potens
Quædam vltimo indè à principiò fuit,
Quæ ſedulò humano vſq;, & vſq;
Conſuleret generi, nec ipſum
Id gigneret ſemper, ne aleret quidem,
Quod quum labores innumerabileis
Caſus iniquos, & tot æſtus
Anxiferos animi tuliſſet,
Tum demum in æternum incideret malum
Mortis, velut contingere beſtijs
Sat conſtat. Aſt portum, & perenne
Perfugium potius putemus
Nobis paratum promeritis benè
Quo peruehi paſſis vtinam omnibus

*Velis, cito curſu, & ſecundo,*
*Iam liceat. ſed enim indè ventis*
*Reflantibus ſi reijciemur, haud*
*Multò tamen poſt diua Neceßitas*
*Omnes eodem vult referri.*
*Non homines, neque Di repugnant.*
*Sed quod neceſſe eſt omnibus, obſecro,*
*Vnìne tantum eſſe id miſerum poteſt?*
*Hac nuper ille oratione*
*Flexanima mihi conſulebat,*
*Quum noſtra plectrum Melpomene interim,*
*Et Lesbiam præ ſe Cytharam ferens,*
*Iſta vt referrem iußit, ac non*
*Erubuit canere ipſa mecum.*
*Tum effecta mortis maxima protinus*
*Contemptio eſt, quæ non minimùm valet*
*Ad liberandum cor timore,*
*Atq; labantem animum erigendum.*
*Qui nanq; quod vitare nequit, timet,*
*Eſſe is quieto nunquàm animo poteſt.*
*Qui autem mori non extimeſcit,*
*Non modò propterea, quod olim*
*Planè id neceſſe eſt, verum etiam quia*



*Nil Mors, quod horrendum ſit, habet, ſibi*
*Certißimum omninò ad beatam*
*Præſidium parat ille vitam.*

## ΕΝΤΕΛΕΧΙΑ ΤΥΧΗ.

## Symb. CXXXX.






## CAESARI CATANEO.

## Symb. CXXXX.

*Nvlla inueniri animorum origo prorſus in*
*Terris poteſt, nanq; in animis mixtum nihil*
*Eſt, atq; concretum, aut quod ex terra ſatum*
*Eſſe videatur, atq; fictum. ad hæc nihil*
*Ne aut humidũ, aut ſpirabile quidẽ, aut igneum.*
*Nam in hiſce naturis ineſt nil, viuidam*
*Quod vim memoriæ, mentis, atq; dedalæ*
*Cogitationis habeat admirabilem,*
*Quod præterita tenens, futura prouidens,*
*Complectier præſentia queat, quæ ſola ſunt*
*Diuina, nec fas inuenire vllatenus*
*Vnquam fuerit, vndè ad hominem, niſi à Deo*
*Venire poßint. Ergo natura abdita eſt,*
*Ac ſingularis quæpiam animi vis, procul*
*Ab vſitatis, atq; notis cæteris*
*Seiuncta naturis. Ità illud quidquid eſt*
*Quod ſentit in nobis, ſapit, vult, ac viget,*
*Cæleſte, Diuinum, & ob id æternum quoq; eſt.*
*Quid quæris? hæc perfectio ſumma, hic Deus*
*Semper colendus mente ſyncerisſima.*
*Eſt nempè mens ſoluta quædam, & libera*
*Mortali ab omni ſegregata protinus*
*Concretione, ſentiens cuncta, & mouens,*
*Atq; ipſa motu ſempiterno prædita.*
*Hinc orta mens humana: non humanitus.*

## PAVLO III. PONT. MAX.

## Symb. CXLI.





## PRVDENS AC FORTIS RATIO, MEDITATIO, ET VSVS.

EDOCET OMNIPOTENS OMNIA DVRA PATI.

## Symb. CXLI.

*Dic age Melpomene, quæ ſit medicina dolorum*
*Optima, quam tuus ille docebat*
*Arpinas nuper cuius de fonte perenni*
*Mellifluos haurire liquores*
*Te iuuat, atq; adeo Aonios traducere in amnes.*
*Sic te turba colat pia vatum,*
*Sic tua doctus amet nunquã non carmina Paulus,*
*Paulus ſpes ſecli vltima noſtri,*
*Cui tantum meritò tribuis, nulli vt placuiſſe*
*Vſq; adeo, atq; illi ſtudeas. ſic*
*Formoſus faueat tibi ſemper Apollo canenti,*
*Sic aliæ quoq; ſpontè ſorores*
*Aſſurgant, primiq; tibi reddantur honores.*
*M. Principiò proponere debes*
*Hoc tibi, nil potius ſtudio Sapientiæ, & alti,*
*Magnanimiq; viri generoſo*
*Pectore, qui humana infra ſe putat omnia ſemper,*
*Qui vera nunquàm à ratione*

Deſciſcens nunquàm ipſe ſuæ confidere vitæ
  Neſcius anteactæ, atq; futura
Proſpiciens ex præteritis, ſibi recta probanti
  Ipſe placet, iudex bonus idem
Ipſe ſui: indocilis nequicquam credere vani
  Iudicio vulgi, omnia vincit,
Non aduerſa timet, non fracta mente dolores
  Fert, contemnit lætum animoſus,
Solus hic eſt verè felix, vereq; beatus.
  Hic diues. quippè omnia rectè
Eius dicentur, ſolus ſcit qui omnibus vti.
  Hic multò pulcherrimus extat,
Ipſe animus ſiquidem rerum pulcherrimus extat.
  Hic rectè inuictus, quoniam & ſi
Corporeos artus conſtringant mille catenæ,
  Nulla tamen poſſunt cohibere
Vincla animum. Hic rectè liber, cui nulla cupido
  Imperat, hic Rex deniq; Regum,
Nam ſeſe regere ante alios ſolus bene nouit.
  Nimirùm Sapientia, & alma
Perficit hoc Virtus, qua nil diuinius vna.
  Nempè ſalutarem medicinam
Illa animis adhibet, curas & detrahit omnes.
  Protinus, illa cupidine cæca,



Liberat, illa metus pellit, temnitq; dolores.
  Huic igitur ſi pectore toto
Ipſum te dederis, celſa ſecurus ab arce
  Tu quoq; deſpiciens hominum orſa
Ridebis cum illa, & ſtatues nil pulchrius eſſe
  Conſtanti patientia, in omni
Fortunæ genere, externæ quæ haud indiga laudis
  Nec plauſum captans popularem
Ipſa modò oblectet ſeſe, tum fortiter audax
  Sit, certa potius ratione,
Quàm ſtudio quodã vehemente, & gloria inani.
  Quin etiam laudanda magis ſunt
Quæ nihil oſtentant ſeſe, at ſine teſte popello
  Fiunt. non quò ſit fugiendus:
Quæq; etenim ſe in luce volunt benefacta locari:
  Mente tamen ſibi conſcia honeſti
Nullum maius habet virtus præclara theatrum,
  Nec putat eſſe malum, niſi turpe
Flagitium, id læto peius refugit, timet, odit.
  Nec putat eſſe bonum, niſi honeſtum,
Viribus id totis vnum ſequitur, cupit, ambit.
  Quare nil facit illa abiectè,
Nil timidè, nihil ignauè, aut ſeruiliter vnquàm.
  Non muliebriter eiulat immò

*Nec tacitos edit gemitus, niſi fortè dolori*
*Quo magis obſiſtat, velut hoſti,*
*Intendat ſeſe ad robur. ſic curſor anhelus*
*In ſtadio exclamat vehementer,*
*Sic athleta bonus, media & gladiator arena,*
*Sic in iactandis pugil audax*
*Ceſtibus. aſt idem contuſus non gemit vnquàm.*
*Vſq; adeo vir fortis abhorret*
*Dedecus, idq; malum maius putat eſſe dolore.*
*Quod facilè vt faciat docet vſus*
*Omnipotens, gnauusq; labor, quibus omnia cedũt.*
*Hoc cæſi teſtantur ad aram*
*Verberibus Spartæ pueri, tum virgo Lacena,*
*Cui magis Eurotas Sol, puluis,*
*Militia, & ſudor, quàm cultus mollis, & vlla*
*Barbara fertilitas fuit olim*
*In ſtudio. tantum meditatio præualet, & mos.*
*Sed quid conſtanti ratione*
*Fortius, aut melius? quodnam mortalibus ægris*
*Certius eſſe poteſt medicamen?*
*Quam tibi quum mater dederit Natura magiſtrã,*
*Atq; ducem vitæ, hanc dominari*
*Eſt operæ pretium, ne animi pars mollior illa*
*Imperet interdum, ſimul omnes*



*Eneruet vires, & te ſuccumbere cogat.*
*An tu quum Lacedæmone cernas*
*Quales extiterint pueri, innuptæue puellæ*
*Atq; adoleſcentes in olympico*
*Olim puluere, quamue graues plagas in harena*
*Barbarus excipiat, tacitusq;*
*Perferat, an tu inquam virtutem natus ad ipſam,*
*Ac decus; vt muliercula flebis?*
*Non conſtanter; non ſedatè ferre valebis,*
*Si quis te peruellerit acris*
*Fortè dolor? Scio quid dicas: natura repugnat,*
*Non patitur. quin prorſus aberras.*
*Non etenim hoc patitur modò, verũ et poſtulat vltrò,*
*Nam quid habet præſtantius: aut quod*
*Expetat illa magis laude à virtute profecta?*
*Quid porrò vſq; adeo fore tetrum,*
*Vſq; adeo à ſpernandum, quid ſe indignius, atq;*
*Turpe putat? nunquam illa dolorem*
*Eſſe malum ſtatuit ſummum, ſed opinio mendax*
*Quæ tenebras prætendit opacas,*
*Et pleroſq; omnes tranſuerſos ſæpius egit.*
*Ergò te regina volente*
*Si ratio extiterit, ſæuo indulgere dolori*
*Non ſinet. Aſt tecum ipſa loquetur,*

*Inſtruet, armabit, ſpecies proponet honeſtas,*
*Clarorumq́ exempla virorum.*
*Tum veri decoris tanto incenderis amore,*
*Fortiter vt paſſos grauiora*
*Iure bono ſtatuas felices, atq; imitandos*
*Summa ope. ſed contentio magna*
*In primis adhibenda animi, nam fida tuendi*
*Officij ſola eſt ea cuſtos.*
*Ac velut aduerſo ſubigit qui flumine lembum*
*Remigijs, ſi fortè remittat*
*Brachia, nequicquam conatur. & alueus illum*
*In præceps prono rapit amni:*
*Contemptumq́ onera vt leuius fert vaſta, remiſſũ*
*Opprimitur corpus facilè, ſic*
*Intenti obſiſtunt animi, vrgenturq́ remiſſi.*
*Quæ tecum mediteris oportet*
*Noctes, atq; dies: quippè iſthæc latius olim*
*Manabit ratio: tum aliquantò*
*Maiorem præſtabit opem, quàm rere, Libido*
*Scilicet infrenis cohibetur*
*Hac duce, veſanusq́ furor compeſcitur iræ,*
*Quandoquidem ſi lumen honeſti*
*Aſpicies ſemper, fugies ſi turpe, doloris*
*Tutus non ſtimulos modò, verum &*



*Fulmina fortunæ contemnas cuncta licebit.*
*Hæc memini muſam ceciniſſe*
*Nuper voce mihi liquida, quam ſummus eburno*
*Cum plectro genitor dedit olli,*
*Et cythara: ad cuius modulamina dulcia ludunt*
*In numerum Fauniq́, feræq́.*
*Hic vbi cõueniunt nymphæ te* PAVLE *vocantes,*
*Vt* PAVLVM *syluæ vndique, & arua*
*Cuncta ſonent. Pater interea Sapina amne vadoſo*
*Emergens, paruusq́ madenteis*
*Concretus multa crines Calamuſcus harena*
*Ingeminant* PAVLVM *ſimul omnes.*

## MORS NORMA VITÆ EST OPTIMA.

### Symb. CXLII.





## PHILIPPO CAROLO GHISILIERIO.

### Symb. CXLII.

*Accenſum dextra lychnum, extinctumq; ſiniſtra*
*Ad perpendiclum hic indè dioptra tenet.*
*Nodoſa inſignis claua, ſpolioq; leonis,*
*Hanc trutinat conſtans Amphitryoniades.*
*Librandæ hinc normam vitæ, mortisq; notari*
*Quid memorē? hæc ratio: hæc temperies animi eſt,*
*Quam præſtans virtute ſua Fortis, Sapiensq;,*
*Nil eſt quod timeat, quod doleat, cupiat.*
*Hæc tua erit iuuenis certiſſima notio, vitæ*
*Optima libra.* BENE EST VITA BEATA MORI.
*Nanq; alius ſemper de alio, & tamen ille ſupremus*
*Iudicat ipſe dies de omnibus haud dubiè.*

FERT TACITVS, VIVIT, VINCIT DIVINVS AMATOR.

Symb. CXLIII.





PEREGRINO ZAMBECCHARIO.

Symb. CXLIII.

*ARdenti tacitus fero, viuo victor in igne,*
*Non ego diuino hoc igne mori dubitem.*
*Cernis vt ad patrium ſublimis fertur olympum.*
*Huc noſtra, vndè orta eſt, mens ſimul approperat.*
*Eugè beate ignis zephyri aura incenſe ſupremi,*
*Mortale in nobis excoque quicquid ineſt.*
*Deniq; felici nos terq; quaterq; corona*
*Dignare, atq; tua perfice iuſtitia.*

ΙΑΤΡΟΣ ΓΑΡ ΑΝΗΡ ΠΟΛΛΩΝ ΑΝΤΑΞΙΟΣ
ΑΛΛΩΝ.
ΕΝ ΑΠΑΝΤΑ.

## Symb. CXLIIII.






## IANO VITALI POETAE CLARISS.

## Symb. CXLIIII.

*VT Cato pro centum Ciceroni millibus vnus,*
*Vtq; Plato Antimacho olim omniũ ad inſtar erat.*
*Scribo: Epicurus ait: non multis, at tibi amico,*
*Nanq; Theatrum ingens alter vtriq; ſumus.*
*Vnum pro populo, pro vno populum fore dixit*
*Quondam Abderites Phyſicus ille ſibi.*
*Sic mihi lectores pauci ſatis, eſt ſatis vnus,*
*Ac ne diſsimulem ſat quoq; nullus erit.*
*Dum modò Iane velis mihi tu doctiſsime adeſſe,*
*Ipſe Theatrum ingens, ipſe Cato, ipſe Plato es.*
*Quin, vt Democrito, populus pro vno eſt mihi, et ipſe*
*Vnus pro toto ſufficies populo.*
*Nam plus multò etiam, atq; alij vidiſſe uideris,*
*Complectens animo maxima quæq; tuo.*
*Vnum eſſe, una ui, uno conſtricta ingenioſæ*
*Conſenſu Naturæ omnia mirifico.*
*Quocunq; ingreditur Sapientia ſemper eodem eſt,*
*Inſtructu, atq; ornatu comitata ſuo.*
*Omnibus expicta, at perpaucis ſcripta dicatur,*
*Hæc oculos paſcit dulcius, illa animum.*

# PHILOLOGIA SYMBOLICA.

MAGNAM HISCE HABENDAM GRATIAM LABORIBVS.

## Symb. CXLV.






ALBERICI LONGI SALENTINI SYMBOLVM IN SYMBOLA ACHILLIS BOCCHII.

## Symb. CXLV.

*Hic labyrinthus erat tenebris conte ctus, & atris*
*Nubibus, hæ fuerant ſæptæ adamante fores.*
*Quas duce Mercurio, Phœboq; ſecundus Achilles*
*Fregit, & intrepidus per loca cæca ruit.*
*Quæq; olim in nebulis, ſomnoq; ſepulta fuere*
*Symbola deduxit, Symbolicamq; Deam.*
*Cernis vt optata iampridem luce fruatur,*
*Secteturq; ſui vindicis illa pedes?*
*Negligit vt nigrum labens è vertice velum;*
*Nudaq; ceſaries aurea tota micet?*
*Vtq; voluminibus gaudens incedat apertis;*
*Condita quæq; prius iam manifeſta ſient?*
*Cernis & vt duplici mulier formoſa corona*
*Exornet vatis tempora docta ſui?*
*Aurea prima datur, donata corona triumpho,*
*Hanc ſequitur Phœbi laurea vatis amor.*
*Illa coronatrix mulier, bona Felſina dicta eſt,*
*Per quam ſtant vati pulchra tropæa ſuo.*
*Aſpicis vt claris ſint verba inſcripta tropæis?*
*Nunc lege, vt agnoſcas quid ſibi verba velint.*
*En tibi dat Bocchi vitam qui gentibus affers*
*E labyrintheis flexibus hæc patria.*

## Carolo Rvino Antonii F. et Isabellæ Filicinæ Rvinæ Matri.

### Symb. CXLVI.





## Qvi fidit, sperat, qvi sperat proficit instans.

## Fastvm is desidiam pigritiemq. fvgit.

### Symb. CXLVI.

*Qvam turrim video? Gentis domus illa Ruinæ eſt,*
*Cum celebrata ſatis, tum celebranda magis.*
*Atqui caſuram dicas; caſura videtur,*
*Fallat vt inuidiam, non cadit illa tamen.*
*Mirum. Sed quæſo: tibi ſic Di vota ſecundent,*
*Quæ vis tanta domum hanc liberat excidio?*
*Suſtinet hanc humeris virtus, fortuna, genuſq;,*
*Nam tria ſignantur montibus iſta tribus.*
*O firmas baſes. Sed quænam inſignia cerno*
*Iuncta his? obtinuit quæ Filicina domus.*
*Attamen illa filix torquet me, vera fatebor,*
*Non habita eſt etenim planta beata nimis.*
*Nonne beata nimis; talem florem vnde Ruini*
*Antonij potuit carpere digna manus?*
*Floremne è filice? ecquiſnàm hic? Iſabella pudoris*
*Ac fidei exemplum, coniugijq; decus.*
*Dij tibi ſint faciles, tua nec mala grando, nec imber,*
*Aurea perturbet germina caſta filix.*
*Vis caput alatum eſt Mentis quæ tempora quæq;*
*Vel puncto abſoluit temporis exiguo.*
*Deniq; felicem faciat Deus ille triceps, cui*
*Quæ fuerunt, quæ ſunt, quæq; futura patent.*
*Quære, pete, inſta, ſpe, officio, ſtudioq; fideli,*
*Quæ cupis inuenies omnia, & accipies.*

## PYRRHO BOCCHIO FILIO.

### Ex mysticis Ægyptiorum literis.

### Symb. CXLVII.





## Iuste, innocenterq. genium colas tuum.

### Symb. CXLVII.

*Qvicunq; rebus vis benè tuis profici,*
*Numen tuum, et proprium Genium honore affice*
*Sibi debito, vt ſe familiarem præbeat*
*Ac ſeruet omni tempore illæſa omnia.*
*Cuſtos fidelis, ſingularis, optimus*
*Cæcutientem ducit ipſe te videns,*
*Stultumq; ſapiens, imbecillem fortis, &*
*Gnarus viæ ignarum. ipſe idem domeſticus*
*Speculator, indiuiduus arbiter manet,*
*Inſeparabilisq; teſtis: omnia*
*Seuerius mala improbat, probat bona,*
*Si ritè mens aduertitur, ſi ſedulò*
*Cognoſcitur, piè & colitur, vt attico*
*Ab Socrate olim cultus eſſe dicitur,*
*Iuſtitia, & Innocentia integerrima*
*Proſpectat ille in rebus incertis, adeſt*
*Præmonitor in dubijs, viator diligens*
*Periculoſis, opitulator omnibus*
*Potens egenis, qui queat tum ſomnijs,*
*Signisq;, tum etiam fortè cum vſus poſtulat,*
*Coràm bona tibi proſperare, auertere*
*Mala, excitare humillima, titubantia*
*Fulcire, clarare tenebroſa, ſydera*
*Aduerſa corrigere. Quid hoc ſalubrius*
*Dici poteſt magni Platonis dogmate?*

## IVLIO III. PONT. MAX.

### Symb. CXLVIII.






### Symb. CXLVIII.

*Trigeminus, eugè, Mons adeſt ſanctiſſimæ*
*Hæreditatis, vbi ſupremus cœlitum*
*Rex, pro benignitate, perductos ſua*
*Nos collocabit, vbi ſtatuet altam ſibi*
*Domum, atq; ſedem æternitatis inclytam,*
*Tandemq; lætis eriget mortalibus*
*Templum illud optatiſſimum, aureum optimi,*
*Pulcherrimi, iuſtiſſimiq; principis,*
*Vndè Benignitas interminata, Caritas,*
*Perfectioq; nos creat, nos allicit,*
*Beatq; dignatos corona duplici*
*Laurea: nempè vna diuina, altera*
*Humana, Pax eſt mentibus noſtris data*
*De viuida Virtute, de Prudentia,*
*Fide, Modeſtia, Aequitate, Gratia, hinc*
*Domi, ac foris ter maxima eſt felicitas.*
*Ergò ter ampliusq;* IVLVM *tertium*
*Clamemus, vt montes ſonent ter maximum*
IVLVM, IVLVM, *& vndiq; æquora omnia.*

IN PSAL. CXV. PARAPHRASIS.

NON ERGO *noſtræ gloriæ victoriam à*
*Te cœlitum Rex præpotens,*

Non ergò noſtræ gloriæ victoriam à
Te, inquam, precamur, atq; ſi
Tanti merita ſint noſtra. Sed vt impijs
Ne gentibus ludibrio
Sit nominis diuina maieſtas tui.
Nos itaq; ſerua pro tua
Benignitate inenarrabili, & fide,
Quam olim dediſti, te optimum
Et maximum ſemper Deum noſtrum fore.
An obſecro diutius
Potes videre, & perpeti, vt qui nos malè
Vexant, tui cum nominis
Iniuria dicant, vbi iſtorum eſt Deus?
At noſter in cœlo eſt Deus,
Nihilq; non arbitrio facit ſuo.
Sed perditarum gentium
Simulacra inania, aurum, & argentum, et manu
Hominis opera facta omnia
Pro Dis coluntur. artifex quidem his dedit
Formam oris: at vocis tamen
Vſu carentem, quem nequiuit addere.
Oculos dedit etiam nihil
Quicquàm videntes, tum quibus nil hauriant
Aures. habent nares ſine
Vlla vi odora. ad hæc manus nil tangere



Aptas, pedes nil ingredi,
Guttur nihil ſoni prorſum edere;
Sanè hiſce confidant ſuis
Statuis inanibus homines vaniſsimi.
Tu MENS amata, cui Deum
Licet videre, quanquàm inaſpectabilem,
Omnem tuam fiduciam
Sitam in Domino habeto: ipſe præſens ijs adeſt,
Qui confugere ad eum ſciunt,
Illoſq; liberat periclis omnibus.
O FORTIS, AVREI Genus
MONTIS BEATVM, AARON DOMVS, confidite
Domino: auxilio erit protinus
Quotquotq; dant ſe illi, velut ſcuto teget.
Qui debita obſeruantia
Dominum colitis, huic fidite omninò ſine
Dubitatione: veſter enim
Adiutor, & vindex erit certiſsimus
Nunquam immemor noſtri fuit
Dominus. Proindè & nunc benefaciet viris
Ipſum videntibus piè
Benefaciet quoq; FORTIS, AC TER MAXIMI
MONTIS FAMILIÆ Olympicæ.
Faciet idem verentibus minoribus
Natu, atq; grandioribus.

*Magis, magisq́ beneficentiam in dies*
*Augebit erga vos ſuam.*
*Augebit inquam in vos, & omnes poſteros.*
*Nam præter alios totius*
*Cæli, atq́ terræ fabricator vos amat.*
*Cælum hocce: vaſtum, inquam, arduum*
*Cælum hocce ſibi Dominus reſeruauit ſine*
*Humana ope. habitandas tamen*
*Laborioſis credidit mortalibus*
*Terras iacentes, à quibus*
*Coleretur inuiolatè, &, hymnis, & ſacris*
*Honoribus perenniter.*
*Quod ſi Domine, deleri ab impijs tuam*
*Gentem ſinis, laudes tuas*
*Quis prædicabit? Quis piè, & ſanctè, vt decet,*
*Venerabitur te? an perfidi*
*Hoſtes, tuum ſanctiſſimum nefariè*
*Qui nomen execrantur? an*
*Demortui? at terris nouam illi gloriam*
*Celebrare qui poſſint tuam?*
*Itaq́ Domine nos, atq́ noſtros poſteros*
*Saluos, & integros iube.*
*Non nominis noſtri id quidem cauſſa, at tui.*
*Vt ſemper aliqua natio*
*Sit, quæ tuo ſanctiſſimo adhibeat preces,*
*Cultus, honores, numini.*



ΙΝΝΟΚΕΝΤΙΩ, ΤΩ ΙΕΡΩ, ΟΡΩ,
ΒΟΥΛΕΥΤΗ. ΓΙΓΓΛΥΜΑΙΩ.

ΑΒΛΑΒΗΣ ΑΣΦΑΛΕΙΑ.

## Symb. CXLIX.

Ιχνεα τίς στάσιμα στερεώσει ὑπέρτατι πάντων
Νεῷ ἐν ἀγλαῷ σεω;
Νήνεμον εἰ τίς ὅρον σοῦ ἀνήσει, μήτιγε Ρώμη,
Ον Ιννοκέντιον καλεῖ,
Κηλίδος ἐκτὸς ὅλης, νόμιος νημέρτεα φάσκων,
Ερῶν ἀλήθειαν σφόδρα.
Νητρεκέος τόδε θεσπέσιον σπούδασμα λόγοιο,
Τόδ' εὐδοκίας ἔμπεδος
Ιμερος. Ευσεβείης ὁσφαντικὸς ἔνθεν ἐβλύσθη
Οσμὸς, πόθεν κλυτ' ἄδεια.

SECVRITAS VERISSIMA INNOCENTIA.

## Symb. CXLIX.






INNOCENTIO CARD. MONTANO APHORISMVS EX PSALMO XV. DAVIDIS.

## Symb. CXLIX.

*Quis tua Cœlicolũ Pater optime, Maxime, tẽpla*
*Beata tutus incolet?*
*Aut quis Olympiaca ſancti requieſcet in arce*
*Montis tui? Nempe* INNOCENS
*Integer & vitæ, macula ſemotus ab omni,*
*Qui veritatem diligit.*
*Aeterni hoc ſtudium illud inenarrabile verbi, hæc*
*Iuſti tenax fiducia*
*Propoſiti, expreſſa hinc ſolidæ pietatis imago,*
*Vnde inclita eſt* SECVRITAS.

ΕΙ ΘΕΟΣ ΥΠΕΡ ΕΜΟΥ, ΤΙΣ ΚΑΤΑ ΕΜΟΥ?

A ME DEVS SI EST, ECQVIS ADVERSVM ME ERIT?

## Symb. CL.





# IO. BAPTISTAE PIGNAE PHILOSOPHO FERRARIENSI.

FABELLA BELLA PINVS EX PAVSANIA.

## Symb. CL.

*Diui riuales duo quondam ardenter amabant*
*Formoſam, Capripes Pan, Boreasq; Pitym.*
*Hanc ſibi connubio iungi, propriamq; dicari*
*Inſtabat parili captus vterq; face.*
*Ipſa vnum modò, detur ſi optio libera, malle*
*Pana, & Threicium poſthabuit Boream.*
*Impatiens, vt ſors ferè amantum eſt, ille repulſæ,*
*Mox furiali odio percitus infremuit,*
*Deprenſam & fortè in medio vaſti æquore campi*
*Adliſit duro ſoliuagam ſcopulo,*
*Mox terræ accepta in gremium cognominis arbor*
*Efficitur, ſancta pro pietate Deum.*
*Eius perpetuos dein Arcas frondis honores*
*Præcinxit capiti pignora cara ſuo.*
*Iam licet aduertas, Borea ſpirante doloris*
*Antiqui memorem nunc quoq; flere Pitym.*
*Quid lachrymas formoſa Pitys? ſi Pan tibi præſto eſt,*
*Quænam vis Boreæ tanta vt obeſſe queat?*
*Virtus Pan: Vitium Boreas: Anima eſt Pitys ipſa:*
*Diuina hanc pietas vna beare poteſt.*

OMNIA MENS SPECVLATVR, AGIT PRVDENTIA ET ARTE.

Symb. CLI.






# FRANCISCO BAIARDO PARMENSI.

Symb. CLI.

INgenioſa hominum, ac rerum Natura creatrix
Inſtrumenta dedit nobis duo maxima, quorum
Vti opera in primis extrinſecus inſtrumentis
Sit pote. corpori enim manus inſerta eſt, animo mẽs.
Quippe recenſeri mens inter maxima debet
Munera naturæ, hanc anima pater altus in ipſa
Haud ſecus accendit, quàm lumen in igne coruſco,
Quid quæris? duplex vis noſtræ mentis habetur.
Hinc gnaua inferior ratio, diuinior illinc
Mens ipſa, & longo ſublimior interuallo.
Illa humana regit, diuina hæc ſuſpicit altè
Contemplãs, cælo, & cæleſtibus imperat aſtris.
Hinc tu IANE bifrons, qui numine claudis aperta
Clauſa aperiſq; tuo, modò nanq; Patulcius, idem
Et modò ſacrifico uocitaris Cluſius ore,
Cum reſerare diem exoriens Sol crederis almum,
Claudere & occiduus ſpatioſi clauiger orbis,
Ianitor immenſus ſuperis, & manibus imis.
Da pater omnipotens in tempore ferrea nobis
Limina: adhuc quamuis pateãt: tua claudere poſſe,
Expetit hoc Heros patriæ Baiardus amatæ
Octaui redeant fœlicia ſecula pacis.

LIBRI QVINTI SYMBOLICA-
RVM QVAESTIONVM
FINIS.